TECHE
UDINE

MANOSCRITTI

FONDO JOPPI

Manoscritto n. J_MSS_0541

I manoscritti che compongono compongono il fondo, assieme alle migliaia di testi a stampa - compresi rari incunaboli e cinquecentine - il Fondo Joppi, sono quasi esclusivamente di interesse friulano. La raccolta si è formata nell'arco di una sessantina di anni grazie alle ricerche di Vincenzo ed Antonio Joppi.

Collocazione:

Biblioteca Civica "Vincenzo Joppi", Udine - Inventario dei manoscritti del Fondo Joppi
https://www.techeudine.it/fondo-joppi
https://www.sbhu.it/

Officia
Sanct
Diœcesis
Utinen.

1772

E questo il primo libro, che raccoglie sotto questo titolo li Offizj propri diocesani

---

Li quindici o venti di altri Offizj sono posteriori all'anno 1772.

541
Foppi

DIE XXV. MARTII.

IN FESTO ANNUNCIATIONIS B. M. V.

Dup. I. Class.

Cum Octava in toto Serenissimo Dominio Veneto tam in Quadragesima, quam post Pascha Resurrectionis ex Decreto SS. Nostri Pii Papæ VI. *die* 9. *Septembris* 1786. *cum Lectionibus propriis pro tota Octava approbatis a S. M. Clementis Papæ* XIII. *die* 19. *Julii* 1760.

UTINI, MDCCLXXXVII.

Apud Hieronymum Murero.

Superiorum Permissu.

OMNIA UT IN BREVIARIO
SUB HAC DIE

SED
EXTRA QUADRAGESIMAM
RITU PASCHALI.

DIE xxvi. MARTII.

Secunda die infra Octavam Annunciationis B. M. V. ſemiduplex. Omnia ut in die præter Lectiones, ut ſequitur.

IN I. NOCTURNO.

De Iſaia Propheta. *Cap.* 2. a
Lectio j.

VErbum, quod vidit Iſaias filius Amos, ſuper Juda, & Jeruſalem: Et erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus Domini in vertice montium, & elevabitur ſuper colles, & fluent ad eum omnes gentes; & ibunt populi multi, & dicent. Venite, & aſcendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit nos vias ſuas, & ambulabimus in ſemitis ejus; quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jeruſalem.

℟. Miſſus eſt Gabriel Angelus ad Mariam Virginem deſponſatam Joſeph, nuncians ei verbum, & expaveſcit

Virgo de lumine. Ne timeas Maria: invenisti gratiam apud Dominum: * Ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius.

℣. Dabit ei Dominus Deus sedem David patris ejus, & regnabit in domo Jacob in æternum. Ecce.

Lectio ij. b

ET judicabit gentes, & arguet populos multos: & conflabunt gladios suos in vomeres, & lanceas suas in falces: non levabit gens contra gentem gladium, nec exercebuntur ultra ad prælium Domus Jacob: venite, & ambulemus in lumine Domini. Projecisti enim populum tuum, domum Jacob quia repleti sunt ut olim, & augures habuerunt ut Philisthiim & pueris alienis adhæserunt.

℟. Ave Maria, gratia plena: Dominus tecum: * Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: quod enim ex te nascetur Sanctum, vocabitur Filius Dei.

℣. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei. Spiritus.

Lectio iij.

REpleta est terra argento, & auro: & non est finis thesaurorum ejus: & repleta est terra ejus equis: & innumerabiles quadrigæ ejus. Et

re-

repleta eſt terra ejus Idolis: opus manuum ſuarum adoraverunt, quod fecerunt digiti eorum. Et incurvavit ſe homo, & humiliatus eſt vir: ne ergo dimittas eis.

℟. Suſcipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum tranſmiſſum eſt: concipies, & paries Deum pariter, & hominem: * Ut benedicta dicaris inter omnes mulieres.

℣. Paries quidem Filium, & Virginitatis non patieris detrimentum: efficieris gravida, & eris Mater ſemper intacta. Ut. Gloria Patri. Ut.

IN II. NOCTURNO.

De Expoſitione Sancti Gregorii Papæ in Libros Regum.

Lib. I. *Cap.* I. *Lectio* iv.

POteſt montis nomine Beatiſſima ſemper Virgo Maria Dei genitrix deſignari; mons quippe fuit, quæ omnem electæ creaturæ altitudinem electionis ſuæ dignitate tranſcendit. An non mons ſublimis Maria, quæ ut ad conceptionem æterni Verbi pertingeret, meritorum verticem ſupra omnes Angelorum choros uſque ad ſolium Deitatis erexit? Hujus enim montis præcellentiſſimam dignitatem Iſaias vaticinans, ait: erit in noviſſimis diebus præparatus mons domus

Domini in vertice montium. Mons quippe in vertice montium fuit, quia altitudo Mariæ supra omnes Sanctos refulsit.

℟. Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, dicit Dominus: * Et vocabitur nomen ejus Admirabilis, Deus, Fortis.

℣. Super solium David, & super regnum ejus sedebit in æternum. Et.

Lectio v.

NAM sicut mons altitudinem, ita domus designat habitationem. Mons quippe, & domus Maria apte dicitur, quæ dum incomparabilibus est illustrata meritis, Dei Unigenito, in quo recumberet, sacrum præparavit uterum. Nam mons in vertice montium Maria non fieret, si supra Angelorum altitudinem hanc Divina fœcunditas non levaret. Et domus Domini non fieret, si in ejus ventre per assumptam humanitatem Verbi Divinitas non jaceret.

℟. Egredietur Virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet: * Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.

℣. Et requiescet super eum spiritus Domini, spiritus sapientiæ, & intellectus, spiritus consilii, & fortitudinis. Et erit.

Lectio vj.

SED recte mons frugifer Maria dicitur, de qua optimus fructus, id est novus homo generatur, quam certe in fœcunditatis suæ gloria pulchram, ornatamque Propheta respiciens, ait: Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet. De hujus montis fructu David Deo exultans ait: Confiteantur tibi populi Deus, confiteantur tibi populi omnes, terra dedit fructum suum. Terra quippe fructum suum dedit, quia quem Virgo peperit, non concepit materialia opere, sed Sancti Spiritus obumbratione.

℟. Sancta, & Immaculata Virginitas, quibus te laudibus efferam, nescio: * Quia quem cœli capere non poterant, tuo gremio contulisti.

℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quia. Gloria Patri. Quia.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 1. c Lectio. vij.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui no-

men erat Joseph de domo David, & nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Joannis Damasceni.

In Annunciatione B. M. V.

REX cœlestis misit ad Virginem ministrum suum Gabrielem, ut ipsam salutatione lætitiæ compellaret, certioremque faceret, esse se a Creatore electam, dicendo: Ave gratia plena, Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus. Et quomodo benedicta non esset, & gratia plena, cum qua creaturarum Dominus fuit, copulando sibi ex ea templum, quo opem generi ipsius afferret? Hodie qui format res omnes visibiles, & invisibiles, effinxit sibi imaginem humanam. Hodie qui producit omnes creaturas spirituales, & materiales, produxit sibi carnis figuram. O Misericordiæ Creatoris abyssum, & excellentiam descensus ejus.

℟. Congratulamini mihi omnes, qui diligitis Dominum, quia cum essem parvula, placui Altissimo: * Et de meis visceribus genui Deum, & hominem.

℣. Beatam me dicent omnes generationes, quia ancillam humilem respexit Deus. Et.

Le-

Lectio viij.

QUando Angelum vidit Maria, turbata est ob sermonem ejus, secumque cogitare cœpit, undenam esset ista salutatio. Angelus vero dixit ei: Ne timeas Maria, nacta es gratiam Dei. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Profecto gloriosa hæc, & illustris inter mulieres gratiam nacta est apud Deum, cum ab eo electa est, ut corpus ex ipsa sumeret, compingeretque ex Sancto ejus sanguine, ut ei non fuerit antea puritate similis, nec post futurus pari sanctitate præditus.

℟. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti, quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti:* Dum Virgo Deum, & hominem genuisti, & post partum, Virgo, inviolata permansisti.

℣. Beata es, quæ credidisti, quia perfecta sunt ea, quæ dicta sunt tibi a Domino. Dum Gloria Patri. Dum.

In Quadrag. ix. *Lectio dicitur de Homilia fer. occurr; & de ea fit commem. Alias.*

Lectio ix. (*quæ in Quadrag. octavæ uniatur.*)

QUamobrem omnes simul occurramus, senes, & adolescentes, æ-

tate graves, & juniores ad honorandam Dominam noſtram, ac noſtræ naturæ reginam, laudibus prædicantes puritatis ejus decorem, perpetuam ejus virginitatem reverentes, altitudinem denique ſanctitatis ejus honorantes, dicamus: O gloria filiarum, matrum decus! o genitricem viro incognitam, o virginem filio gravidam! o Miraculum, quo miſſi a Deo Prophetæ perculſi ſunt, & cujus gloria Angelos ſuperat, propitia ſis ſervorum tuorum, qui auxilium tuum implorant, deprecationibus.

Te Deum laudamus.

DIE xxvii. MARTII.

Tertia die infra Octav. Annunciationis B. M. V. Semidup.

IN I. NOCTURNO.

De Iſaia Propheta.

Cap. 14 a Lectio j.

PRope eſt, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur. Miſerebitur enim Dominus Jacob, & eliget adhuc de Iſrael, & requieſcere eos faciet ſuper humum ſuam: adjungetur advena ad eos, & adhærebit domui Jacob. Et tenebunt eos populi, & adducent eos in locum ſuum, & poſſidebit eos domus Iſrael

ſu-

ſuper terram Domini in ſervos, & ancillas: & erunt capientes eos, qui ſe ceperant, & ſubjicient exactores ſuos.

℟. Miſſus eſt Gabriel, &c.

Lectio ij.

CONtrivit Dominus baculum impiorum, virgam dominantium. Cædentem populos in indignatione, plaga inſanabili ſubjicientem in furore gentes, perſequentem crudeliter. Conquievit, & ſiluit omnis terra, gaviſa eſt, & exultavit. Abietes quoque lætatæ ſunt ſuper te, & cedri Libani; ex quo dormiſti; non aſcendet, qui ſuccidat nos: Infernus ſubter conturbatus eſt; in occurſum adventus tui ſuſcitavit tibi gigantes: Omnes principes terræ ſurrexerunt de ſoliis ſuis, omnes principes nationum.

℟. Ave Maria, &c.

Lectio iij.

JUravit Dominus exercituum, dicens: Si non, ut putavi, ita erit: & quomodo mente tractavi, ſic eveniet: ut conteram Aſſyrium in terra mea, & in montibus meis conculcem eum: & auferetur ab eis jugum ejus, & onus illius ab humero eorum tolletur. Hoc conſilium, quod cogitavi ſuper omnem terram, & hæc eſt

 ma-

manus extenta ſuper univerſas gentes: Dominus enim exercituum decrevit: & quis poterit infirmare? & manus ejus extenta, & quis avertet eam?

℟. Suſcipe verbum Virgo Maria, &c.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Joannis Chryſoſtomi.
In Luc. cap. 1. de Nativit.
S. Joannis Baptiſtæ.
Lectio iv.

POſt ſextum menſem conceptionis Joannis, qui eſt octavo Kalendas Octobris, ſextus Menſis Martius principium anni, quia princeps, & primarius omnium ipſo menſe conceptus, & paſſus eſt. De quo, & Paulus teſtatur: Qui eſt inquit, initium omnis creaturæ, quia in ipſo condita ſunt omnia in cœlis, & in terra. Quem menſem Judæis ſolemnem Moyſes ſolicite, & crebro commendabat, dicens: Hic menſis initium menſium primus erit vobis in menſibus anni. Ex die igitur conceptionis Joannis, octavo Kalendas Octobris uſque octavo Kalendas Aprilis, quando Angelus Gabriel ingreſſus eſt ad Mariam, & ſalutavit eam, dicens: Pax tecum, quia inveniſti gratiam apud Dominum.

℟. Ecce virgo concipiet, &c.

Le-

Lectio v.

QUÆ audito hoc verbo conturbata est, & cogitabat intra semetipsam, quæ esset ista salutatio. Cui dixit Angelus: Ne timeas Maria, quia invenisti gratiam apud Dominum: ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum; hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur, & dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus, & regnabit in domo Jacob in sæcula, & regni ejus non erit terminus. Cui respondit Maria: & quomodo hæc cognoscam, cum virum non noverim? Et dixit illi Angelus: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi; propter quod is, qui nascetur sanctus, vocabitur Filius Dei. Tunc Maria fida sermoni dixit: Ecce Ancilla Domini contingat mihi secundum sermonem tuum.

℟. Egredietur virga de radice, &c.

Lectio vj.

FUit igitur, quando hæc Angelus ad Mariam annunciavit, octavo Kalendas Aprilis, qui est ipse dies æquinoctialis ad inchoationem lucis, jam enim detersa caligine a mundo, lux in mundum adveniebat, sicut Joannes in Epistola sua dicit: Quia te-

ne-

nebræ transierunt, & lumen verum jam lucet. De quo lumine iterum in Evangelio dicit: Fuit lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Conceptus ergo est Dominus noster octavo Kalendas Aprilis, Mense Martio, qui est dies Paschæ, Passionis Domini, & conceptionis ejus, in qua enim die conceptus est, in eadem, & passus est.

℟. Sancta, & immaculata, &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Lectio vij.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Homilia 1. super Missus est.

QUid sibi voluit Evangelista, tot propria nomina rerum in hoc loco tam signanter exprimere? Credo quia noluit nos negligenter audire, quod tam diligenter studuit enarrare. Nominat siquidem Nuncium, quem

quem mittit, Dominum a quo mittitur, Virginem, ad quam mittitur, Sponſum quoque Virginis, amborumque genus, civitatem, ac regionem propriis deſignat nominibus. Ut quid hoc? Putaſne aliquid horum ſupervacue poſitum ſit? Nequaquam: plena quippe ſunt omnia ſupernis myſteriis, ac cœleſtis ſingula dulcedine redundantia.

℟. Congratulamini mihi.

Lectio viij.

AIT itaque: Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo: Non arbitror hunc Angelum de minoribus eſſe, qui qualibet ex cauſa crebra ſoleant ad terras fungi legatione; quod, & ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum Fortitudo Dei dicitur: & quia non ab alio aliquo forte excellentiore ſe (ut aſſolet) Spiritu, ſed ab ipſo Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo poſitum eſt a Deo. Vel ideo dictum eſt a Deo, ne cui vel beatorum Spirituum ſuum Deus antequam Virgini revelaſſe putetur conſilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele, qui utique tantæ inter ſuos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali, & nomine dignus haberetur, & nuntio.

℟. Gaude Maria virgo, &c.

In Quadrag. ix. Lectio dicitur de Homilia fer. occur; & de ea fit commem. Alias,

Lectio ix. (*quæ in Quadragesima octavæ uniatur*).

MIssus est ergo Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ cui nomen Nazareth. Videamus, si ut ait Nathanael, a Nazareth potest aliquid boni esse. Nazareth interpretatur flos. Christus autem non immerito fructus esse intelligitur, dicente David: Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. Et iterum: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. In Nazareth ergo nunciatur Christus nasciturus, quia in flore speratur processurus. Sed prodeunte fructu flos decidit, quia veritate apparente in carne figura pertransiit: Unde, & Nazareth civitas Galilææ dicitur: idest transmigrationis, quia nascente Christo omnia transierunt, quæ (ut ait Apostolus) in figura contingebant illis.

Te Deum laudamus.

DIE

DIE xxviii. MARTII.

Quarta die infra Octavam Annunciationis B. M. V. semid.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.

Cap. 16. a *Lectio* j.

EMitte agnum Domine dominatorem terræ, de Petra deserti ad montem filiæ Sion: Et erit: Sicut avis fugiens, & pulli de nido avolantes, sic erunt filiæ Moab in transcensu Arnon. Ini consilium, coge concilium, pone quasi noctem umbram tuam in meridie: absconde fugientes, & vagos ne prodas.

℟. Missus est Angelus Gabriel, &c.

Lectio ij.

HAbitabunt apud te profugi mei: Moab esto latibulum eorum a facie vastatoris; finitus est enim pulvis, consummatus est miser; defecit, qui conculcabat terram; Et præparabitur in misericordia solium, & sedebit super illud in veritate in tabernaculo David, judicans, & quærens judicium, & velociter reddens, quod justum est.

℟. Ave Maria gratia plena, &c.

Cap. 17. b *Lectio* iij.

IN die illa inclinabitur homo ad Factorem suum, & oculi ejus ad Sanctum

ctum Iſrael reſpicient: Et non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus ejus, & quæ operati ſunt digiti ejus, non reſpiciet lucos, & delubra. In die illa erunt civitates fortitudinis ejus derelictæ ſicut aratra, & ſegetes, quæ derelictæ ſunt a facie filiorum Iſrael, & eris deſerta. Quia oblitus es Dei Salvatoris tui, & fortis adjutoris tui non es recordata: propterea plantabis plantationem fidelem, & germen alienum ſeminabis.

℟. Suſcipe verbum Virgo Maria, &c.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Laurentii Juſtiniani.

De Annunciatione B. M. V. ſerm. 10.

Lectio iv.

QUoties intemeratæ Virginis Mariæ prærogativam Sanctitatis facundia humana conatur edicere, quoniam longe ab illius exiſtit meritis neceſſe eſt, ut ſuccumbat. Melius quippe ſilentio, quam locutione diſſeritur, cum omnis laus eadem inferior ſit. Quis, oro, hujus Virginis gratiam enarrare ſufficit? Ab ipſa namque ſui conceptione in benedictionibus eſt præventa dulcedinis, atque a damnationis aliena chirographo, prius eſt ſanctificata, quam nata. In ipſo

ſô enim utero materno jam poſita ſuper illam gratia ſanctificationis effulſit, utpote ei quæ electa erat, ut pareret Deum. Noverat opus ſuum ille, qui fecerat, & quale futurum erat certiſſime agnoſcebat. Hinc eſt, quod Virginem ipſam tam largo imbre ſpiritus irroravit.

℟. Ecce Virgo concipiet, &c.

Lectio v.

TAlis profecto erat, ut nulli uſui ſervaretur, niſi divino. Quamobrem cum temporis plenitudo veniſſet, in quo univerſorum Conditor humanum genus redimere ſtatuerat, hanc præ cæteris reperiens ſanctiorem, ſibi præcipuam delegit in Sponſam, ipſam mente, ipſamque corpore cuſtodivit intactam, ut eſſet, de qua Verbum fieret caro, ac mulieris pudor per eam deleretur, & culpa. Ad hanc utique Virginem in civitatem Nazareth a Deo miſſus eſt Gabriel, quatenus Incarnationis Verbi eidem tempus annuntiaret, & modum. Ad Virginem quippe miſſus eſt Angelus, quoniam Angelis ſemper eſt cognata virginitas. Angelus ad Virginem, ut novam gratiam novi partus nova ſalutatione differeret. Viſitationis enim aderat tempus, in quo liberaretur reus, ſapientia corporaretur, deleretur cul-

culpa, atque cœlestis Jerusalem reædificarentur mœnia.

℟. Egredietur virga de radice, &c.

Lectio vj.

QUamobrem lætus Paranymphus effectus pro officio, exhilaratus pro gratia, pro obsequio expeditus, insolito fulgore vestitus, in humana effigie descendit ad Virginem. Didicit sane ex præsagio, quanta, qualisque erat, ad quam dirigebatur salutandam. Ave, inquit, gratia plena, Dominus tecum; tecum in mente, tecum in ventre, tecum in thalamo, tecum in præsidio. Cæterum hoc non habes abs te, sed ab illo, qui fecit te, ut nasceretur ex te, pasceretur a te, permaneret in te; atque gratia sua fœcundaret te. Replevit enim te, ut fieret in te, possetque veraciter dicere, quod longe ante Sapientis ore vaticinatum fuerat de te: Et qui creavit me, requievit in tabernaculo meo.

℟. Sancta, & immaculata virginitas, &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam. *Cap.* 1. c *Lectio* vij.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Gali-

lilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Homilia 3. Super Missus est.

AVE, inquit, gratia plena, Dominus tecum. Quid mirum si gratia plena erat, cum qua Dominus erat. Sed hoc potius mirandum, quomodo, qui Angelum miserat ad Virginem, ab Angelo inventus est esse cum Virgine. Itane velocior Angelo fuit Deus, ut festinantem nuncium celerior ipse præveniret ad terras? Nec mirum; nam cum esset rex in accubitu suo; nardus Virginis dedit odorem suum; & ascendit in conspectu gloriæ ejus fumus aromatis, & invenit gratiam coram oculis Domini. Statimque Rex egrediens de loco sancto suo, nimio pervolans desiderio prævenit nuncium suum ad Virginem, quam amaverat, quam sibi elegerat, cujus decorem concupierat.

℟. Congratulamini mihi omnes, &c.

Lectio viij.

NON dixit Dominus in te, sed Dominus tecum. Nec tantum Dominus Filius tecum, quem carne tua induis, sed, & Dominus Spiritus San-

Sanctus, de quo concipis, & Dominus Pater, qui genuit quem concipis. Pater, inquam tecum, qui Filium suum facit, & tuum, Filius tecum, qui ad condendum in te mirabile Sacramentum miro modo, & sibi reserat genitale secretum, & tibi servat virginale signaculum; Spiritus Sanctus tecum, qui cum Patre, & Filio tuum sanctificat uterum. Dominus ergo tecum.

℟. Gaude Maria virgo, &c.

In Quadrag. ix. *Lectio legitur de Homilia fer. occurr; & fit de ea commem. Alias,*

Lectio ix. (*quæ in Quadrag. octavæ uniatur.*)

BEnedicta tu in mulieribus: O Virgo prudens, o Virgo devota, quis te docuit placere Deo virginitatem? Christo devoves te exhibere virginem, & nescis, quia ipsi exhiberi te oportet etiam matrem. Aperi virgo sinum, expande gremium, præpara uterum, quia ecce facturus est tibi magna, qui potens est, intantum ut pro maledictione Israel beatam te dicunt omnes generationes. Nec suspectam habeas prudens Virgo fœcunditatem, quia non auferet integritatem. Concipies, sed sine peccato; gravida eris, sed non gravata; pa-

ries,

ries, ſed non cum triſtitia; neſcies virum, & gignes filium.

Te Deum laudamus.

DIE xxix. MARTII.

Quinta die infra Octav. Annuntiat. B. M. V. ſemidupl.

IN I. NOCTURNO.

De Iſaia Propheta.

Cap. 19. a *Lectio* j.

ONus Ægypti. Ecce Dominus aſcendet ſuper nubem levem, & ingredietur Ægyptum, & commovebuntur ſimulacra Ægypti a facie ejus, & cor Ægypti tabeſcet in medio ejus. Et concurrere faciam Ægyptios adverſus Ægyptios, & pugnabit vir contra fratrem ſuum, civitas adverſus civitatem, & regnum adverſus regnum.

℟. Miſſus eſt Gabriel, &c.

Lectio ij.

ET dirumpetur Spiritus Ægypti in viſceribus ejus, & conſilium ejus præcipitabo, & interrogabunt ſimulacra ſua, & divinos ſuos, & pythones, & ariolos. Et tradam Ægyptum in manu dominorum crudelium, & rex fortis dominabitur eorum, ait Dominus Deus exercituum. Et areſcet aqua de mari, & fluvius deſo-

folabitur, atque ſiccabitur. Et deficient flumina: attenuabuntur, & ſiccabuntur rivi aggerum. Calamus, & juncus marceſcet.

℞. Ave Maria gratia plena.

Lectio iij.

IN die illa erit Altare Domini in medio terræ Ægypti, & titulus Domini juxta terminum ejus. Erit in ſignum, & in teſtimonium Domino exercituum in terra Ægypti. Clamabunt enim ad Dominum a facie tribulantis, & mittet eis Salvatorem, & propugnatorem, qui liberet eos. Et cognoſcetur Dominus ab Ægypto, & cognoſcent Ægyptii Dominum in die illa, & colent eum in hoſtiis, & in muneribus: & vota vovebunt Domino, & ſolvent.

℞. Suſcipe verbum Virgo Maria, &c.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

De Annunc. Dominica ſerm. 2.

Lectio iv.

COnſiderare eſt fratres in ſolemnitate hodierna Dominicæ Annunciationis, velut amœniſſimam quamdam planitiem, ſimplicem noſtræ reparationis hiſtoriam. Iniungitur nova legatio Angelo Gabrieli, & novam

Vir-

Virgo professa virtutem novæ salutationis honoratur obsequio. Antiqua excluditur maledictio mulierum, novam nova Mater accepit benedictionem. Impletur per gratiam quæ concupiscentiam nescit, ut Spiritu superveniente Altissimi pariat filium, quæ virum dedignatur admittere. Intrat ad nos eadem porta salutis antidotum, qua venenum serpentis ingrediens universitatem generis humani occuparat.

℟. Ecce Virgo concipiet, &c.

Lectio v.

ABysus plane imperscrutabilis Incarnationis Dominicæ Sacramentum, abyssus impenetrabilis: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis. Quis enim investiget, quis attingat, quis apprehendat? Altissimum est Mysterium, nec nos oportet temere super hujuscemodi præcipitare sententiam. Denique ipsa est Virginis nostræ gloria singularis, & excellens prærogativa Mariæ, quæ Filium unum eumdemque cum Deo Patre meruit habere communem. Sed nec nobis alia dari posset occasio similis sperandæ salutis, & hæreditatis: factus quidem primogenitus in multis fratribus, qui unigenitus erat adcif-

cat eos ſine dubio in hæreditatem, quos vocavit in adoptionem.

℟. Egredietur virga de radice, &c.

Lectio vj.

EGredietur virga de radice Jeſſe, & flos de radice aſcendet, & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini. Illud ſane diligenter attende, quia florem hunc de radice, non de virga dixerit aſcenſurum. Quia etenim, ſi nova Chriſti caro in Virgine creata eſſet ex nihilo, quod exiſtimaverunt nonnulli, non de radice flos, ſed forte de virga dici poterat aſcendiſſe. Nunc autem quia prodiit ex radice, ſine dubio ab origine communem probatur habuiſſe materiam. Nam quia ſuper eum Spiritus requievit, nihil in eo contradictionis fuiſſe declarat.

℟. Sancta, & immaculata virginitas.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Lucam.

Cap. 1. c Lectio vij.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph de domo David, & nomen virginis Maria. Et reliqua.

De

De Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Homilia 1. super Missus est.

TUrbata est Maria in sermone Angeli; turbata est, sed non perturbata. Turbatus sum, inquit, & non sum locutus, sed cogitavi dies antiquos, & annos æternos in mente habui. Ita ergo, & Maria turbata est, & non est locuta, sed cogitabat, qualis esset ista salutatio. Quod turbata est, verecundiæ fuit virginalis, quod non perturbata fortitudinis, quia tacuit, & cogitavit prudentiæ. Cogitabat autem qualis esset ista salutatio. Sciebat prudens Virgo, quod sæpe Angelus Satanæ transfigurat se in Angelum lucis, & quia nimirum humilis, & simplex erat, nihil tale penitus a Sancto Angelo sperabat, & ideo cogitabat, qualis esset ista salutatio.

℟. Congratulamini mihi.

Lectio viij.

TUnc Angelus intuitus Virginem, & varias secum volvere cogitationes deprehendens, pavidam consolatur, confirmat dubiam, ac familiariter vocans ex nomine, benigne, ne timeat persuadet. Nec timeas, inquit, Maria, invenisti gratiam apud Deum. O si scires quantum tua hu-

militas Altiſſimo placeat, quanta te apud ipſum ſublimitas maneat, angelico te indignam, nec colloquio iudicares, nec obſequio. Ut quid enim indebitam tibi dixeris gratiam Angelorum, quæ inveniſti gratiam apud Deum? Inveniſti, quod quærebas; inveniſti, quod nemo ante te potuit invenire.

℟. Gaude Maria Virgo, &c.

In Quadrag. ix. *Lectio dicitur de Homilia fer. occur; & de ea fit commem. Alias,*

Lectio ix. (*quæ in Quadrag. octavæ conjung.*)

INveniſti gratiam apud Deum. Quam gratiam? Dei, & hominum pacem, mortis deſtructionem, vitæ reparationem. Hæc eſt ergo gratia, quam inveniſti apud Deum. Et hoc tibi ſignum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jeſum. Intellige prudens Virgo ex nomine promiſſi Flii, quantam, & ſpecialem gratiam inveneris apud Deum. Et tu quidem, Virgo, parvulum paries, parvulum nutries, parvulum lactabis. Sed vide parvum, & cogita magnum. Erit enim magnus, & Filius Altiſſimi vocabitur.

Te Deum laudamus.

DIE xxx. MARTII.

Sexta die infra Octav. Annunc. B. M. V. Semidup.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.
Cap. 25. a Lectio j.

DOmine, Deus meus es tu, exaltabo te, & confitebor nomini tuo: quoniam fecisti mirabilia, cogitationes antiquas fideles, amen. Quia posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum, ut non sit civitas, & in sempiternum non ædificetur. Super hoc laudabit te populus fortis, civitas gentium robustarum timebit te.

℟. Missus est Gabriel, &c.

Lectio ij.

QUia factus es fortitudo pauperi, fortitudo egeno in tribulatione sua: spes a turbine, umbraculum ab æstu, spiritus enim robustorum, quasi turbo impellens, parietem. Sicut æstus in siti, tumulum alienorum humiliabis, & quasi calore sub nube torrente, propaginem fortium marcescere facies; & faciet Dominus exercituum omnibus populis in monte hoc convivium pinguium, convivium vindemiæ, pinguium

um medullatorum, vindemiæ defæcatæ.

℟. Ave Maria.

Lectio iij.

ET præcipitabit in monte isto faciem vinculi colligati super omnes populos, & telam, quam orditus est super omnes nationes. Præcipitabit mortem in sempiternum: & auferet Dominus Deus lacrymam ab omni facie, & opprobrium populi sui auferet de universa terra: quia Dominus locutus est. Et dicet in die illa: Ecce Deus noster iste, expectavimus eum, & salvabit nos: iste Dominus, sustinuimus eum, & lætabimur in salutari ejus.

℟. Suscipe verbum Virgo Maria, &c.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Bernardi Abbatis.

Sermone 52. de divers. *Lectio* iv.

SApientia, quæ Dei erat, & Deus erat, de sinu Patris ad nos veniens, ædificavit sibi Domum, ipsam scilicet Matrem suam Virginem Mariam, in qua septem columnas excidit. Quid est in ea septem columnas excidere, nisi ipsam dignum sibi habitaculum fide, & operibus præparare? nimirum ternarius numerus ad fidem propter Sanctam Trinitatem: qua-

quaternarius pertinet ad mores propter quatuor principales virtutes. Quod autem in Beata Maria Sancta Trinitas fuerit, fuerit dico per præsentiam majestatis, ubi solus Filius erat per susceptionem humanitatis, testatur Nuncius cœlestis, qui ei arcana mysteria referens, ait: Ave gratia plena, Dominus tecum; & post paucas Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi: Ecce habes Dominum, habes virtutem Altissimi, habes Spiritum Sanctum, habes Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

℟. Ecce Virgo concipiet.

Lectio v.

UTrum autem, & quatuor principales virtutes, tanquam quatuor columnas possederit, inquisitione dignum videtur. Primum ergo videamus, an fortitudinem habuerit, quæ nimirum virtus quomodo illi abesse potuit, quæ abjectis sæcularibus pompis, spretisque voluptatibus carnis, soli Deo in virginitate vivere proposuit? Ni fallor, hæc Virgo est, quæ apud Salomonem legitur, Mulierem fortem quis inveniet? procul, & de ultimis finibus pretium eius. Porro quod temperans, & justa fuerit, ex Angeli collocutione, & sui ipsius re-

 spon-

ſponſione luce clarius comprobamus. Salutata quippe tam venerabiliter ab Angelo: Ave gratia plena, Dominus tecum; non ſe extulit quaſi quæ ex ſingulari gratiæ privilegio benediceretur, ſed ſiluit, & qualis eſſet inſolita hæc ſalutatio, ſecum cogitavit. Qua in re, quid niſi temperans fuit?
℟. Egredietur virga.

Lectio vj.

AT vero, cum de cœleſtibus myſteriis ab eodem Angelo doceretur, diligenter quæſivit; quomodo conciperet, & pareret, quæ virum utique non cognoſceret; & in hoc ſine dubio prudens extitit. Juſtitiæ autem præſefert inſigne, ubi ſe Ancillam Domini confitetur, nam quod juſtorum ſit confeſſio, teſtatur, qui ait: Verumtamen juſti confitebuntur nomini tuo. Fuit igitur beata Virgo Maria fortis in propoſito, temperans in ſilentio, prudens in interrogatione, juſta in confeſſione. His itaque quatuor morum columnis, & tribus fidei prædictis extruxit in ea ſibi Domum Sapientia cœleſtis, quæ adeo mentem ejus replevit, ut de plenitudine mentis fœcundaretur, & caro.
℟. Sancta, & immaculata.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii secundum Lucam.

Cap. 1. c Lectio vij.

IN illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Ex Homil. 1. super Missus est.

QUÆ est hæc Virgo tam venerabilis, ut salutaretur ab Angelo; tam humilis, ut desponsata sit Fabro? Pulchra permixtio virginitatis, & humilitatis, nec mediocriter placet Deo illa anima, in qua, & humilitas commendat virginitatem, & virginitas exornat humilitatem: sed quanta putas veneratione digna est, in qua humilitatem exaltat fœcunditas, & partus consecrat virginitatem? Audis virginem, audis humilem? laudabilis virtus virginitas, sed magis necessaria humilitas; illa consulitur, ista præcipitur.

℟. Congratulamini mihi omnes.

Ex Homil. 2. ſup. eodem loco.

Lectio viij.

MIſſus eſt, inquit, Angelus ad Virginem; Virginem carne, Virginem mente, Virginem profeſſione, Virginem denique, qualem deſcribit Apoſtolus, mente, & corpore Sanctam, nec noviter nec fortuito inventam, ſed a ſæculo electam, ab Altiſſimo præcognitam, & ſibi præparatam, ab Angelis ſervatam, a Patribus præfiguratam, a Prophetis promiſſam, ut pauca loquar de pluribus, quam ſibi aliam prædixiſſe Deus videtur, quando ad ſerpentem ait: Inimicitias ponam inter te, & mulierem? Etſi adhuc dubitas, an de Maria dixerit, audi quod ſequitur: Ipſa conteret caput tuum: cui hæc ſervata victoria eſt, niſi Mariæ?

℞. Gaude Maria Virgo.

In Quadrag. ix. *Lectio dicitur de homilia fer. occurr; & fit de ea commem. Alias,*

Ex hom. 3. ſup. eodem loco.

Lectio ix. (*quæ in Quadrag. octavæ uniatur.*)

ET ingreſſus Angelus ad eam dixit. Ave gratia plena, Dominus te-

tecum. Quo ingreſſus ad eam? Puto in ſacrarium pudici Cubiculi, ubi illa fortaſſis clauſo ſuper ſe oſtio orabat Patrem in abſcondito. Solent Angeli adſtare orantibus, & delectari in his, quos vident levare puras manus in oratione. Holocauſtum ſanctæ devotionis gaudent ſe offerre Deo in odorem ſuavitatis. Mariæ autem orationes quantum placuerint in conſpectu Altiſſimi, Angelus indicavit, qui ingreſſus ad eam, tam reverenter ſalutavit.

Te Deum laudamus.

DIE xxxi. MARTII.

Septima die infra Octav. Annunciation. B. M. V. ſemid.

IN I. NOCTURNO.

De Iſaia Propheta.

Cap. 40. c *Lectio* j.

SUper montem excelſum aſcende tu, qui evangelizas Sion: exalta in fortitudine vocem tuam, qui evangelizas Jeruſalem: exalta, noli timere. Dic civitatibus Juda: Ecce Deus veſter: Ecce Dominus Deus in fortitudine veniet, & brachium ejus dominabitur: Ecce merces ejus cum eo, & opus illius coram illo. Sicut paſtor gregem ſuum paſcet: in bra-

chio ſuo congregabit agnos, & in ſinu ſuo levabit, fœtas ipſe portabit.

℟. Miſſus eſt Gabriel.

Cap. 41. a *Lectio* ij.

TAceant ad me inſulæ, & Gentes mutent fortitudinem: accedant, & tunc loquantur, ſimul ad judicium propinquemus. Quis ſuſcitavit ab Oriente juſtum, vocavit eum, ut ſequeretur ſe? dabit in conſpectu ejus gentes, & reges obtinebit, dabit quaſi pulverem gladio eius, ſicut ſtipulam vento raptam arcui eius. Perſequetur eos, tranſibit in pace, ſemita in pedibus ejus non apparebit.

℟. Ave Maria gratia plena.

Cap. 42. a *Lectio* iij.

ECce ſervus meus ſuſcipiam eum: electus meus, complacuit ſibi in illo anima mea: dedi ſpiritum meum ſuper eum iudicium gentibus proferet. Non clamabit, nec accipiet perſonam, nec audietur vox ejus foris. Calamum quaſſatum non conteret, & linum fumigans non extinguet: in veritate educet judicium. Non erit triſtis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium: & legem ejus inſulæ expectabunt.

℟. Suſcipe verbum Virgo Maria.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Ildefonsi Archiepiscopi Toletani.

Ex lib. de Virginitate B. M.

Lectio iv.

DOmina mea, atque Dominatrix mea, dominans mihi, mater Domini mei, ancilla Filii tui, genitrix factoris mundi, te rogo, te oro, te quæso, ut habeam spiritum Domini tui, spiritumque Filii tui, nec non, & spiritum Redemptoris mei, ut de te vera, & digna sapiam; vera, & digna loquar; vera, & digna quæcunque sunt, diligam. Tu enim es electa a Deo, assumpta a Deo, advocata a Deo, proxima Deo, adhærens Deo, conjuncta Deo, visitata ab Angelo, beatificata ab Angelo, salutata ab Angelo, benedicta ab Angelo: turbata in sermone ejus, attonita in cogitatione, stupefacta in salutatione, admirata in dictorum annunciatione.

℟. Ecce virgo concipiet.

Lectio v.

INvenisse te apud Deum gratiam audis, & ne timeas, juberis. Unde, & tu fiducia roboraris, cognitione miraculorum instrueris, ad novitatem inauditæ gloriæ proveheris. De prole ab Angelo nunciata es, & post

fœtum integra, & pudica manes. Certa virginitas nobis proponitur, & nasciturum ex te sanctum Dei Filium tibi ab Angelo, evangelizatur: quæ sit nascentis Regis potentia, mirabiliter intimatur. Quomodo fiat quæris, de origine interrogas, de ratione perscrutaris, de experientia requiris, de ordine sciscitaris: Audi inauditum oraculum, considera inusitatum opus, animadverte incognitum arcanum, attende invisum factum: Spiritus Sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.

℞. Egredietur virga de radice.

Lectio vj.

TOta invisibiliter Trinitas conceptionem operabitur in te: sola persona Filii Dei in corpore tuo nascitura, carnem assumet de te. Ideoque quod concipietur ex te, quod nascetur ex te, quod prodiet ex te, quod germinabit ex te, quod parturietur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei. Erit enim hic magnus, hic Deus virtutum, hic Rex omnium sæculorum, hic factor omnium rerum. Ecce Beata tu inter mulieres, integra inter puerperas, Domina inter ancillas, Regina inter sorores. Ecce ex hic beatam te dicent omnes generationes, beatam te noverunt omnes

coe-

cœleſtes Virtutes, beatam te prædicant omnes Vates, beatam te celebrant omnes nationes: Beata tu fidei noſtræ, beata tu animæ noſtræ, beata dilectioni noſtræ, beata præconiis, & prædicationibus meis.

℟. Sancta, & immaculata virginitas.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Lucam.

Cap. 1. c *Lectio* vij.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph de domo David, & nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia venerabilis Bedæ Presbyteri.

In Evang. Lucæ cap. 1, & in Homilia hiemalibus de Temp. Fer. iv. Quatuor Temp. Menſis Decembris.

AD Mariam virginem Gabriel mittitur, qui Dei Fortitudo nominatur: illum quippe nunciare veniebat, qui ad debellandas aereas poteſtates humilis apparere dignatus eſt. De quo per Pſalmiſtam dicitur: Dominus fortis, & potens, Dominus potens in prælio. Et rurſum: Dominus virtutum ipſe eſt Rex gloriæ.

Per

Per Dei ergo fortitudinem nunciandus erat, qui virtutum Dominus, & potens in prælio, contra potestates aereas ad bella veniebat. Et ingressus Angelus ad eam, dixit: Ave gratia plena: Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus. Bene gratia plena vocatur, quæ nimirum gratiam, quam nulla alia meruerat, assequitur: ut ipsum videlicet gratiæ concipiat, & generet auctorem.

℟. Congratulamini mihi omnes.

Lectio viij.

ECce concipies in utero, & paries filium, & vocabis nomen ejus Jesum. Jesus Salvator, sive salutaris interpretatur; cujus Sacramentum alloquens Joseph Angelus exposuit: Ipse enim (inquiens) salvum faciet populum suum a peccatis eorum. Non ait populum Israel, sed populum suum: hoc est, in unitate fidei ex præputio, & circumcisione vocatum: quibus ex adversa parte vocatis, fieret unus pastor, & unum ovile. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur: & dabit illi Dominus Deus sedem David patris ejus. Idem ergo Filius Altissimi, qui in utero virginali conceptus, & natus est. Idem homo in tempore creatus ex matre, qui Deus est ante tempora natus ex

Pa-

Patre. Si autem idem homo, qui Deus est; omittat Nestorius, hominem tantum dicere ex Virgine natum.

℟. Gaude Maria virgo.

In Quadrag. ix. *Lectio dicitur de Homilia Fer. occurr; & de ea fit commem. Alias*,

Lectio ix. (*quæ in Quadr. octavæ uniatur.*)

IDeoque, & quod nascetur ex te Sanctum vocabitur Filius Dei. Ad distinctionem nostræ sanctitatis, Jesus sanctus singulariter nasciturus asseritur. Nos quippe, etsi sancti efficiamur, non tamen nascimur, quia ipsa naturæ corruptionis conditione constringimur, ut merito cum Propheta gementes singuli dicamus. Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. Ille autem solus veraciter sanctus est, qui ut ipsam conditionem naturæ corruptibilis vinceret, ex commixtione carnalis copulæ conceptus non est. Sanctum, inquit, vocabitur, Filius Dei. Quid hic dicis Nestoriane, qui beatam Mariam Dei negans esse genitricem, aperte niteris impugnare veritatem? Ecce Deum dixit superventurum, Dei Filium nasciturum. Quomodo ergo: aut Dei Filius Deus non est, aut quæ Deum edidit, quomodo Theo-

Theotocos, id est, Dei genetrix non esse potest?

Te Deum laudamus.

DIE I. APRILIS.

Octava Annunciation. B. M. V. Duplex.

IN I. NOCTURNO.

De Isaia Propheta.

Cap. 62. a *Lectio* j.

PRopter Sion non tacebo, & propter Jerusalem non quiescam, donec egrediatur ut splendor justus ejus, & Salvator ejus, ut lampas accendatur. Et videbunt Gentes justum tuum, & cuncti reges inclitum tuum, & vocabitur tibi nomen novum, quod os Domini nominabit, & erit corona gloriæ in manu Domini, & diadema regni in manu Dei tui.

℟. Missus est Gabriel.

Lectio ij. b

NOn vocaberis ultra Derelicta: & terra tua non vocabitur amplius desolata: sed vocaberis voluntas mea in ea, & terra tua inhabitata, quia complacuit Domino in te: & terra tua inhabitabitur. Habitabit enim juvenis cum Virgine, & habitabunt in te filii tui. Et gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.

℟. Ave Maria gratia plena.

Le-

Lectio iij. d.

TRansite, transite per portas, præparate viam populo, planum facite iter, eligite lapides, & elevate signum ad populos. Ecce Dominus auditum fecit in extremis terræ, dicite filiæ Sion: Ecce Salvator tuus venit: ecce merces ejus cum eo, & opus ejus coram illo, & vocabunt eos, Populus sanctus, redempti a Domino. Tu autem vocaberis: Quæsita civitas, & non derelicta.

℟. Suscipe verbum virgo.

IN II. NOCTURNO.

Sermo Sancti Joannis Damasceni.
Homil. in Annunciat. B. M. V.
Lectio iv.

JAm tempus est fratres dilectissimi, ut hac Davidica voce exclamemus: Quam magnificata sunt opera tua Domine, omnia in sapientia fecisti: Etenim præsens solemnitas festivitatum nostrarum initium est, & nostrarum solemnitatum caput, unde orta est salus nostra, ac lex nostra initium habuit. Nos enim eramus prius avitæ ac primigeniæ rebellionis rei, & adjecto illi insuper gravissimarum peccatorum reatu, facti eramus tenebrarum incolæ, ac regionum mortis, nec ullus ex Prophetis a Deo missis, &

san-

ſanctis juſtis lumine nos illuminare poterat, redimendo a peccatis, & nequitia prævaricationum noſtrarum. Quamobrem Creator ipſe Redemptor evaſit, noſque ſui ad nos acceſſus lumine illuſtravit, nobiſque commiſſa ſunt ſecreta adventus ejus, cum ipſe Gabrielem Archangelum miſit annuntiatum miracula incarnationis ſuæ.

℟. Ecce virgo concipiet, &c.

Lectio v.

HOdierna dies ſolemnitatum noſtrarum eſt origo, & ſalutis noſtræ initium. Hodie filius Dei, qui temporibus anterior eſt, hominis filius fit. Hodie initium eſt renovationis humanæ naturæ. Hodie facta eſt abolitio peccati primigenii. Hodie ſanctificata eſt noſtra natura Creatoris in ipſa inhabitatione. Hodie digna evaſit, ut Archangelis dominaretur. Hodie completum eſt tempus, de quo Prophetarum oracula perſonuerunt. Hodie tempus completum eſt, quod ſanctorum, & electorum mentes deſiderabant.

℟. Egredietur virga.

Lectio vj.

HOdie Adam Creatori ſuo de progenie ſua templum ædificavit, in quo tectus habitaret, & quod redimeret, Mariam Virginem, prætio-
ſam,

ſam, benedictam, ſanctam, puriorem naturæ Adamitæ partem, & humanæ ſtirpis reginam puram, qua nulla uſquam corpore purior invenietur in omni genere humano; ſanctam, qua nulla inter creaturas futura eſt intellectuales quoad animam ſanctior; gloriam Iſraeliticæ gentis ac ſtirpis Davidicæ lumen, de qua avus ipſius David exclamat, propheticam vocem extollendo: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliviſcere populum tuum, & domum patris tui, & concupiſcet Rex ſpeciem tuam.

℟. Sancta, & immaculata, &c.

IN III. NOCTURNO.

Lectio Sancti Evangelii ſecundum Lucam.

Cap. 1. c. *Lectio* vij.

IN illo tempore: Miſſus eſt Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem deſponſatam viro, cui nomen erat Joſeph de domo David, & nomen virginis Maria. Et reliqua.

Homilia Sancti Bernardi Abbatis.

Homilia 4. ſuper Miſſus eſt.

DIxit Maria ad Angelum: quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Primo quidem pruden-

ter

ter tacuit, cum adhuc dubia cogitabat, qualis esset ista salutatio, malens nimirum humiliter non respondere quam temere loqui, quod nesciret. Jam vero confortata, & bene præmeditata, Angelo quidem foris loquente, sed Deo intus persuadente, erat enim Dominus, cum illa, dicente Angelo, Dominus tecum, dixit ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Non dubitat de facto, sed modum quærit, & ordinem.

℟. Congratulamini mihi, &c.

Lectio viij.

AIt itaque: Spiritus Sanctus superveniet in te, & Virtus Altissimi obumbrabit tibi? Qui potest capere, capiat. Quis enim excepta fortassis illa, quæ hoc sola in se felicissime meruit experiri, intellectu capere, ratione discernere possit, qualiter splendor ille inaccessibilis virgineis se se visceribus intuderit, & ut illa inaccessibilem accedere ad se ferre potuisset. Et fortasse propter hoc maxime dictum est, obumbrabit tibi, quia res nimirum in Sacramento erat, & quod sola per se Trinitas in sola, & cum sola Virgine voluit operari: soli datum est nosce, cui soli datum est experiri.

℟. Gaude Maria virgo, &c.

In Quadrag. Lect. ix. *dicitur de fer. occurr; & de ea fit commem. Alias,* *Lectio* ix. (*quæ in Quadrag. octavæ uniatur.*)

ECce, inquit, ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Semper ſolet eſſe gratiæ Divinæ familiaris virtus humilitas; Deus enim ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Humiliter ergo reſpondet, ut ſedes gratiæ præparetur. Ecce, inquit, Ancilla Domini. Quæ eſt hæc tam ſublimis humilitas, quæ cedere non novit honoribus, inſoleſcere gloria neſcit? Mater Dei eligitur, & ancillam ſe nominat. Non mediocris revera humilitatis inſigne, nec oblata tanta gloria oblivifci humilitatem. Audiamus quotquot ſumus, quid illa reſponderit, quæ Dei Mater eligebatur, ſed humilitatem non obliviſcebatur.

Te Deum laudamus.

VENETIARUM.

QUam ad enixas preces Seren. Reipublicæ Venetæ S. Mem. Clemens PP. XIII. 19. Julii 1760.

1760. indulſerit, ut in Civitate, & Diœceſi Venetiarum recitari poſſet Officium, & Miſſa reſpective celebrari de Octava Annunciationis B. M. V. totius Sereniſs. Dominii Principalis Patronæ cum Lectionibus pro tota Octava propriis tunc adprobatis, ſive illud fiat in Quadrageſima, ſive transferatur poſt Paſcha Reſurrectionis juxta Decretum diei 20. Juli 1748., nunc eadem Seren. Republica preces iterante, meque infraſcripto Secretario referente, Santiſs. Dominus Noſter Pius VI. Pont. Max. benigne conceſſit, ut eadem Octava tum in Quadrageſima, tum poſt Paſcha, ſi Feſtum ſit transferendum, fieri poſſit in toto Dominio Veneto eodem modo, quo fit in Civitate, & Diœceſi Veneta, contrariis quibuſcumque non obſtantibus.

Die 9. Septembris 1786.

Loco ✠ Sigilli.

J. Card. Archinto Præfectus.

Julius Maria de Somalia S. R. C. Sec.

DIE XIII. FEBRUARII.
IN FESTO
BEATÆ EUSTOCHII
VIRGINIS ORDINIS S. BENEDICTI
DUPLEX MAJUS

Ab universo Clero Sæculari, & Regulari Universi Seren. Dominii Venetiarum recitandum.

Oratio.

OMnipotens Æterne Deus, qui Beatam Eustochium Virginem tuam adversus potestates tenebrarum admirabili virtute, & invicta patientia roborasti; ejus meritis, & precibus concede, ut ab omni diabolica nequitia liberati, secura tibi mente serviamus. Per Dñum nostrũ &c.

In 1. Noct. Lectiones. De Ep. 1 ad Cor. de Virginibus, *ut in Com. Virg. In 2 Nocturno. Lect. IV.*

EUSTOCHIUM Virgo nata est Patavii; atque ibidem

in Monaſterio Sancti Proſdocimi Inſtitutum S. Benedicti profeſſa, Vitam egit innocentiſſimam, eandemque infeſtam tot ærumnis; ut manifeſto appareat, Deum in illa exemplum patientiæ ſtatuere, ac poſterorum documento & ſolatio relinquere voluiſſe. Facta enim Dœmoni poteſtate in eam ſæviendi, horribile dictu eſt, quot modis ad extremum pene ſpiritũ ſanctiſſimam Puellam excruciarit. Sæpe illam verberibus contundebat. Nonnunquam omni cibo, potuque prohibitam, tridui, ac etiam quatridui inedia conficiebat. Quibus illa rebus ab inſtituto virtutis curſu abduci non potuit. Dũ Corpus extrinſecus torquebatur, mens intra ab oratione nunquam deſiſtebat. Ærumnas ab Adverſario illatas cumulabat acceſſione

mul-

multarum, magnarumque aſperitatum, quas ultro ſuſcipiebat, tamque alacriter omnia patiebatur Dei amore incenſa, & ſpe divinæ opis erecta, ut profiteretur nullas ſe illorum, qui beatiſſimi putantur, delicias ſui cruciatibus anteferre. Tu autẽ &c.

℟. Propter veritatem &c.

Lectio V.

UBi aperta vi hoſtis teterrimus nihil profecit, dolo & fallaciis graſſari cæpit. Quaſdam ejus Monaſterii Virgines in fraudem induxit, vaniſſimiſque ſuſpicionibus oppletas incitavit in Euſtochium. Ergo quam coli ab omnibus æquum erat, maledictis proſcinditur, ſimulatrix ac malefica dicitur, & quaſi auctrix fuiſſet cujuſdam inſanabilis morbi, in quem Abbatiſsa inciderat, cõjici.

jicitur in carcerem, eique vix panis & aqua præbetur, quod satis sit ad vitam tolerandã. Tres ipsos menses exegit in illo squallore atque inedia. Hanc etiam vexationem & contumeliam omnium gravissimam pertulit admirabili alacritate; omnem famæ ac salutis suæ curam rejecit in Deum: maledicentibus benedixit, pro persequentibus, ac calumniantibus oravit: ita denique se gessit, ut virtutum ex ipsius factis dictisque omnibus se prodentium fulgore, omnis illa suspicionum caligo discuteretur; tantaque fieret voluntatum & judiciorum conversio, ut quæ antea supplicio digna putabatur, uno jam ore ab omnibus Sancta nominaretur. Tu autem &c.

℟. Dilexisti justitiam &c.

Le-

Lectio VI.

CUm bonum certamen certaſſet, ut erat diuturno morbo confecta, intellexit ſe jam vocari ad coronam. Itaque Sacramentis Eccleſiæ rite ſuſceptis, Sorores vocat; iiſque aperit veniſſe diem, quo ſibi ex hac vita migrandum ſit. Tum gaudio exultans, ipſaque oris hilaritate præſeferens voluptatem animi lætitia triumphantis, atque in Spōſi, quem unice amaverat, complexum venire geſtientis, placidiſſime obdormivit in Domino Idibus Februariis Anno milleſimo quadringenteſimo ſexageſimo nono, ætatis ſuæ vigeſimo quinto. Mortuam multis modis Deus illuſtravit. Nā & vultus vita functæ manſit is, ut animi beatitudinem indicaret ſpecies ipſa

cor-

corporis; & inventum fertur in finistro latere Nomen JESU altius impressum, quam ut ulla ratione deleri posset; effossoque ex sepulcro, quarto post obitum anno, illius corpore, fertur etiam aquam inde limpidissimam prosiliisse, quæ & hodie manans, vim habere dicitur admirabilem ad morbos depellendos. Corpus ejus in Æde Monialium Sancti Prosdocimi honorifice asservatur, & summa veneratione colitur. Tu autem &c.

℟. Afferentur Regi &c.

In tertio Nocturno Homilia S. Gregorii Papæ in Evangelium Simile erit regnum cælorum Decē Virginibus. *de Cōi Virginum.*

Missa Dilexisti &c. *ex cōi Virg.*

ORA-

ORATIO.

OMnipotens Æternæ Deus, qui Beatam Eustochium Virginem tuam adversus potestates tenebrarum admirabili virtute, & invicta patientia roborasti, ejus meritis, & precibus concede, ut ab omni diabolica nequitia liberati, secura tibi mente serviamus. Per Dominũ nostrum &c.

Secreta.

HUjus; quæsumus Domine, virtute Mysterii, per quã antiqui hostis vires contrivisti, & intercedente B. Eustochio Virgine tua, cui de illo victoriã contulisti, cunctos a famulis tuis Diabolicos incursus repelle. Per Dominum &c.

Post-

Postcommunio.

COnfirmet nos, Domine, quæ pasti sumus mensa cœlestis, ut Beatæ Eustochii exemplis instructi, & præsidii adiuti, cuncta nobis adversantia vincamus. Per Dominum &c.

Die XVIII Septembris.

IN FESTO
S. JOSEPHI
A CUPERTINO
CONFESSORIS

Ordinis Minorum S. FRANCISCI Conventualium.

DUPLEX MINUS.

Omnia de Communi Confessoris non Pontificis præter ea, quæ sequuntur.

IN PRIMIS VESPERIS.

Ad Magnific. Antiph. Mortuus sum, & vita mea est abscondita cum Christo in Deo.

ORATIO.

DEUS, qui ad Unigenitum Filium tuum exaltatum a terra omnia trahere disposuisti: perfice propitius, ut meritis, & exemplo Seraphici Confessoris tui Josephi supra terrenas omnes cupiditates elevati ad Eum pervenire mereamur. Qui tecum vivit, & regnat &c.

IN PRIMO NOCTURNO.

Lectio I.

De Epiſtola ſecunda B. Pauli Apoſtoli ad Corinthios. *Cap. 4. v. 6. ad 12.*

DEus, qui dixit de tenebris lucem ſplendeſcere, ipſe illuxit in cordibus noſtris ad illuminationem ſcientiæ claritatis Dei, in facie Chriſti Jeſu. Habemus autem theſaurum iſtum in vaſis fictilibus: ut ſublimitas ſit virtutis Dei, & non ex nobis. In omnibus tribulationem patimur, ſed non anguſtiamur: aporiamur, ſed non deſtituimur: perſecutionem patimur, ſed non derelinquimur: dejicimur, ſed non perimus: ſemper mortificationem Jeſu in corpore noſtro circumferentes, ut & vita Jeſu manifeſtetur in corporibus noſtris. Semper enim nos, qui vivimus, in mortem tradimur propter Jeſum: ut & vita Jeſu manifeſtetur in carne noſtra mortali. Tu autem &c.

℟. Euge ſerve bone &c.

Lectio II. *Cap. 5. v. 1. ad 9.*

SCimus enim, quoniam ſi terreſtris domus noſtra hujus habitationis diſſolvatur, quod ædificationem ex Deo habemus, domum non manufactam, æternam in cœlis. Nam & in hoc ingemiſcimus; habi-

habitationem noſtram quæ: de cœlo eſt, ſuperindui cupientes: ſi tamen veſtiti, non nudi inveniamur. Nam, & qui ſumus in hoc tabernaculo, ingemiſcimus gravati eo quod nolumus expoliari, ſed ſuperveſtiri; ut abſorbeatur, quod mortale eſt, a vita. Qui autem efficit nos in hoc ipſum, Deus, qui dedit nobis pignus ſpiritus. Audentes igitur ſemper, ſcientes, quoniam dum ſumus in corpore, peregrinamur a Domino: (Per fidem enim ambulamus, & non per ſpeciem). Audemus autem, & bonâ voluntatem habemus magis peregrinari a corpore, & præſentes eſſe ad Dominum. Tu autem &c.

℟. Juſtus germinabit &c.

Lectio III. *Cap.12.v.1.ad 10.*

SI gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad viſiones, & revelationes Domini. Scio hominem in Chriſto ante annos quatuordecim (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) raptum hujuſmodi uſque ad tertium cœlum. Et ſcio hujuſmodi hominem (ſive in corpore, ſive extra corpus, neſcio, Deus ſcit) quoniam raptus eſt in Paradiſum; & audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Pro hujuſmodi gloriabor: pro me autem nihil gloriabor, niſi in in-

firmitatibus meis. Nam, & si voluero gloriari, non ero insipiens: veritatem autem dicam: parco autem, ne quis me existimet supra id, quod videt in me, aut aliquid audit ex me. Et ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi stimulus carnis meæ angelus Satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominū rogavi, ut discederet a me: & dixit mihi: sufficit tibi gratia mea; nam virtus in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, ut inhabitet in me virtus Christi. Tu autem &c.

℟. Iste cognovit justitiam &c.

IN SECUNDO NOCTURNO.

Lectio IV.

JOSEPHUS a Cupertino, Oppido in Salentinis Diœcesis Neritonensis, anno reparatæ salutis millesimo sexcentesimo tertio, piis ibidem parentibus ortus, Deique amore præventus pueritiam, atque adolescentiam summa cum simplicitate, morumque innocentia transegit. A diuturno, molestoque morbo patientissime tolerato Deiparæ Virginis ope liberatus se totum pietatis operibus, ac excolendis virtuti-

tutibus dedit: utque Deo ad majora vocanti se intimius conjungeret, Ordini Seraphico nomen dare constituit. Post varios eventus voti tandem compos factus, apud Minores Conventuales in Cœnobio Cryptulæ, inter Laicos primum ob litterarum imperitiam, deinde inter Clericos Divina dispositione connumeratus est. Sacerdotio post solemnia vota initiatus, perfectius sibi vitæ institutum proposuit. Quamobrem mundanis quibuscumque affectibus, terrenisque rebus pene ad vitam necessariis illico a se abdicatis, ciliciis flagellis, catenis, omni demum asperitatum, ac pœnarum genere corpus afflixit, spiritum verò sanctæ orationis, altissimæque contemplationis assiduitate dulciter enutrivit. Hinc factum est, ut Charitas Dei, quæ jam erat in ejus corde a prima ætate diffusa, miro, planeque singulari modo in dies coruscaverit. Tu autem &c.

℞. Honestum fecit &c.

Lectio V.

ELuxit præcipue ardentissima ejus charitas in ecstasibus ad Deum suavissimis, stupendisque raptibus, quibus frequenter afficiebatur. Mirum autem, quod alienato a sensibus animo statim ab ecstasi e-

um revocabat sola obedientia. Hanc quippe virtutem eximio studio prosequebatur, dicere solitus, se ab ea veluti cæcum circumduci, & mori potius velle, quam non obedire. Paupertatem vero Seraphici Patriarchæ ita æmulatus est, ut morti proximus Prælato suo asserere vere potuerit, se nihil habere, quod more Religiosorum resignaret. Itaque Mundo, sibique mortuus vitam Jesu manifestabat in carne sua, quæ dum in aliquibus ex turpitudine obscœnum flagitium sentiebat, prodigiosum de se efflabat odorem, inditium nitidissimæ illius puritatis, quam, immundo Spiritu vehementissimis tentationibus frustra obnubilare diu conante, servavit illæsam, tum arcta sensuum custodia, tum jugi corporis maceratione, tum denique speciali protectione purissimæ Virginis Mariæ, quam Matrem suam appellare consuevit, ac veluti Matrem dulcissimam intimo cordis affectu venerabatur, eamque ab aliis venerari exoptabat, ut cum ejusdem patrocinio, sicut ipse ajebat, omnia bona consequerentur. Tu autem &c.

℟. Amavit eum Dominus &c.

Le-

Lectio VI.

HÆC Beati Josephi sollicitudo a sua erga Proximos charitate prodibat; tanto enim animarum zelo exardebat, ut omnium salutem modis omnibus instantissime procuraret. Extendens pariter charitatem suam in Proximum sive pauperem, sive infirmum, sive quacumque alia tribulatione vexatum, quantum in ipso erat, illum recreabat. Nec alieni erant ab ejus charitate, qui objurgationibus, probris, omnisque generis injuriis ipsum appeterent; nam eadem patientia, mansuetudine, vultusque hilaritate talia excipiebat, qua tot inter, ac tantas vicissitudines resplenduit, dum vel Moderatorum Ordinis, vel Sacræ Inquisitionis jussu hac illac errare, versarique coactus est. Quamquam vero Populi non solum, sed Viri Principes eximiam ejus sanctitatem, & superna charismata admirarentur; ea nihilominus erat humilitate, ut magnum se peccatorem reputans Deum enixe deprecaretur, ut sua ab eo illustria dona removeret; homines vero exoraret, ut in eum locum mortuum ejus corpus injicerent, ubi memoria sui esset prorsus obliterata. At Deus, qui ponit humiles in sublime, quique Servum suum, dum viveret, cœlesti sapientia, prophetia,

cordium perscrutatione; curationum gratia, cœterisque donis cumulatissime exornaverat, ejus quoque mortem iis, quibus ipse antea prædixerat, loco, ac tempore, anno ætatis suæ sexagesimo primo, Auximi in Piceno pretiosam reddidit, sepulchrumque gloriosum. Illum denique etiam post obitum miraculis coruscantem Benedictus Quartusdecimus Beatorum, Clemens Tertiusdecimus Sanctorum fastis adscripsit: ejus autem Officium, & Missam CLEMENS Quartusdecimus ejusdem Ordinis ad Universam Ecclesiam extendit. Tu autem &c.

℞. Iste homo perfecit &c.

IN TERTIO NOCTURNO.

Lectio sancti Evangelii secundum Mattheum.

Lectio VII. *Cap. 22.*

IN illo tempore loquebatur Jesus Principibus Sacerdotum, & Pharisæis in parabolis dicens: Simile factum est Regnum Cœlorum homini Regi, qui fecit nuptias filio suo. Et reliqua.

Ho-

Homilia Sancti Gregorii Papæ.

Lib. 2. Homilior. Homil. 38. circa medium.

QUia jam, largiente Domino, Nuptiarum Domum, ideſt ſanctam Eccleſiam, intraſtis, ſolerter, Fratres, aſpicite, ne aliquid de mentis veſtræ habitu Rex ingrediens reprehendat. Cum magno enim cordis timore penſandum eſt, quod protinus ſubditur: Intravit autem Rex, ut videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali. Quid, Fratres chariſſimi, exprimi per nuptialem veſtem putamus? Si enim veſtem nuptialem baptiſma, vel fidem dicimus, quis ſine baptiſmate, & fide has nuptias intravit? Eo enim ipſo foris eſt, qui necdum credidit. Quid ergo debemus intelligere nuptialem veſtem, niſi charitatem? Intrat enim ad nuptias, ſed cum nuptiali veſte non intrat, qui in ſancta Eccleſia aſſiſtens fidem habet, ſed charitatem non habet. Recte enim charitas nuptialis veſtis vocatur, quia hanc in ſe Conditor noſter habuit, dum ad ſociandæ ſibi Eccleſiæ nuptias venit. Tu autem &c.

℟. Iſte eſt, qui ante Deum &c.

Lectio VIII.

SOla quippe dilectione Dei actum est, ut ejus Unigenitus mentes sibi electorum hominum uniret. Unde & Joannes dicit: Sic enim dilexit Deus Mundum, ut Filium suum Unigenitum daret pro nobis. Qui ergo per charitatem venit ad homines, eamdem Charitatem innotuit vestem esse nuptialem. Omnis ergo vestrum, qui in Ecclesia positus Deo credidit, jam ad nuptias intravit: sed cum nuptiali veste non venit, si charitatis gratiam non custodit. Et certè Fratres, si quis ad carnales nuptias esset invitatus, vestem mutaret, congaudere se Sponso, & Sponsæ ex ipso sui habitus decore ostenderet, inter gaudentes, & festa celebrantes despectis vestibus apparere erubesceret. Nos ad Dei nuptias venimus, & cordis vestem mutare dissimulamus. Congaudent Angeli, cum ad cœlum assumuntur electi. Qua ergo mente hæc spiritualia Festa conspicimus, qui nuptialem vestem, id est charitatem, quæ sola nos speciosos exhibet, non habemus. Tu autem &c.

℟. Sint lumbi vestri &c.

Lectio IX.

SCiendum vero eſt, quia ſicut in duobus lignis, ſuperiore videlicet, & inferiore veſtis texitur: ita in duobus præceptis charitas habetur, in dilectione ſcilicet Dei, & Proximi. Scriptum quippe eſt: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua; & ex tota virtute tua, & proximum tuum ſicut te ipſum. Qua in re notandum eſt, quia in dilectione Proximi menſura amoris ponitur, cum dicitur: Diliges proximum tuum ſicut te ipſum. Dei autem dilectio nulla menſura conſtringitur, cum dicitur: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, ex tota virtute tua. Non enim jubetur quiſque quantum diligat, ſed ex quanto; cum dicitur, ex toto; quia ille veraciter Deum diligit, qui ſibi de ſe nihil relinquit. Duo ergo neceſſe eſt ut charitatis præcepta cuſtodiat, quiſquis habere in nuptiis veſtem nuptialem curat. Tu autem &c.

Ad

Ad Benedictus.

Antiph. Oſtendit mihi (Dominus) fluvium aquæ vivæ, ſplendidum tanquam cryſtallum procedentem de ſede Dei, & Agni.

IN SECUNDIS VESPERIS.

Ad Magnificat.

Antiph. Exiſtimo omnia detrimentum eſſe propter eminentem ſcientiam Jeſu Chriſti Domini mei.

DECRETUM

Urbis, & Orbis.

QUum supremam adposuerit manum Canonizationi S. JOSEPHI A CUPERTINO Ordinis Minorum S. FRANCISCI Conventualium Frater Laurentius Ganganelli, tunc Cardinalis Causæ Ponentis vices agendo, nunc CLEMENS PAPA XIV. Officium proprium, ac Antiphonas ad Cantica Benedictus, & Magnificat adprobavit, atque a Seraphico Ordine suo Minorum Conventualium sub ritu duplicis secundæ Classis recitari mandavit.

Ut autem admirabilis hujusce Sancti Viri memoria in Christi Ecclesia peragatur, præfatum Officium proprium ad Omnes utriusque Sexus Christifideles, qui ad Canonicas Horas tenentur, die decima octava Septembris sub ritu duplicis minoris recitandum extendit. Die 8. Augusti 1769.

Fl. Card. Chisius Præfectus.

L. ✝ S.

V. Macedonius S.R.C. Secret.

s
nplis
bis
n.ex.

quis
en

Qu

Acc

Die XI. Februarii. Hora 25.
In Festo septem Fundatorum ordinis
Servorum B. M. V. Duplex.
Pro universo Dominio Austriaco,
Venetiis et alibi. Vesp. de S. Scholastica,
a capit. de seq.

Capit. Ad Hebr. 13 7.
Fratres, Mementote Praepositorum vestrorum
qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intu:
entes exitum conversationis, imitamini fidem.

Hymnus.

Jam nimis terris facinus per omne
Mersa regnabat, sine lege aberrans,
Igne peccantes superi tonabant
Vindice dextra:

Quando lugendis miserata fatis
Virgo septenos Proceres, inhiscos
Sanguine, et claros pietate multa,
Caelitus acuit.

Acuit afflictis populis juvandis
A tot aerumnis, maculis, ruinis:
Acuit, et semper sibi servituros
Strenuo amore.

Veste lugubri induit, ut dolores
Defleant ejus mage dum ferali
In trabe infanda perit inermte
Diva Propago.

Filios

Filios visus visitavit omnes,
Ut velut Matrem studiose amantem
Crederent ipsam, paria et referrent
Pignora amoris.

Tunc quis excussit charitatis ignis
Pectus ipsorum! Date, quaeso, Patres
Filios vestros paribus beatis
Ignibus uri.

Tu Pater, praesta, tribue et Redemptor,
Tuque da nobis Paraclete summe
Virginem Matrem colere, ac amare,
Here et in aevum
Amen.

℣. Orate pro nobis septem B. Patres.
℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi.

Ad Magnificat Antipha.

Isti sunt Viri misericordiae, quorum pietates non defuerunt. Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.

Oratio.

Domine Jesu Christe, qui in jugem memoriam dolorum sanctissimae tuae Genitricis per septem B. Patres nova servorum ejus familia Ecclesiam tuam fecundasti: concede nobis famulis tuis in hac lacrymarum valle degentibus ita ejusdem moestissimae Matris socios esse passionum in terris, ut perpetuae consolationis consortes fieri mereamur in caelis: Qui vivis et regnas etc.

Deinde fit com. S. Scholasticae Virg. Ad Matu

Ad Matutinum, invitator.
Mirabilem Dominum in servis Deiparae, * Venite adoremus. Psalm. Venite. 2

Hymnus.

Praeclara septem lumina
Tusci micantis Aetheris
Vos virgo Mater excitat
Ut luce mundus splendeat:

Vos labra lacte perlita
Servos Mariae nominant:
Tum Virgo vos Senarios
Adire colles imperat.

Vos ipsa Mater inclyta
Funebre pallio induit,
Ut defleatis vulnera,
Quae pertulit gravissima.

Hoc ipsa coeli e culmine
Petro revelat martyri,
Jubetque coetum perpetem
Hinc posteris constitui,

Qui famulentur jugiter
Ipsamque semper diligant,
Cunctis propagent, praedicent
Ejus dolores flebiles.

Ergo, Duces fortissimi,
Ah vos sequamur strenue:
Ardor, dolorque fervidus
In virginem nos occupent.

ex xu

Et te superna Trinitas
Perfunde sancto robore,
Utramque fac non imparem
Nostris Beatis currere. Amen.

In 1. Noct. Antiph.

In vertice montium plantavit Regina Martyrum vineam justorum, qui dolores ejus meditabantur die ac nocte. Psalmus.

Beatus vir, qui non abiit, etc. ut in com. Conf. non Pontificis.

Antiphona. Domina dixit ad eos: Filii mei estis vos; exultate, quia ego vos genui.

Psal. Quare fremuerunt gentes.

Antiph. Voce sua ad Dominam clamaverunt, et exaudivit eos de monte sancto suo.

Psal. Dne quid multiplicati.

V. Lætamini in Dno, et exultate justi.

R. Et gloriamini omnes recti corde.

Lectiones 1. Nocturni.

Laudemus viros gloriosos.

ut in communi Conf. Pont. 2. loco.

R. 1. Lætabitur deserta, et invia, et exultabit solitudo: et florebit quasi lilium:

V. Germinans germinabit, et exultabit lætabunda, et laudans.

Et florebit. R. ii.

℟. II. Saliet sicut cervus claudus, et aperta erit lingua mutorum: quia scissę sunt in deserto aquę, et torrentes in solitudine.
℣. In cubilibus, in quibus prius dracones habitabant, orietur viror calami et junci. Quia scissę etc.
℟. III. Hęc est vera fraternitas, quę regnum Mundi, et omne ornatum sęculi contempsit: propter amorem Dom̃i Jesu Christi.
℣. Ecce quam bonum et quam jucundum habitare fratres in unum. Propter.
Gloria Patri. Propter.

In II. Nocturno: Antiphona.

Non diligentes vanitatem, nec requirentes mendacium, omnia sęculi bona abdicaverunt, et a Dom̃o magnificati sunt.
Psal. Cum invocarem.
Antiph. In multitudine misericordię Dom̃i suę sperantes introierunt in domum ejus, et adoraverunt ad templum sanctum ejus.
Psal. Verba mea.
Antiph. Ex ore infantium, et lactentium servos tuos illos dicentium perfecisti Dom̃e laudem eorum. Quam admirabile est nomen tuum. Psal. Dom̃e Dom̃us noster.
℣. Exultent justi in conspectu Dei.
℟. Et delectentur in lętitia.

Lectio

Lectio IV.

Decimotertio Christiani nominis saeculo, inter alios Florentinos Patritios, septem erant avorum sanguine, opibusque illustres: at virtutibus spectatis suis longe illustriores, nuncupati ut Religioni nomen deferre, Bonfilius Monaldius, Bonajuncta Manettus, Manettus Antellensis, Amideus de Amideis, Uguccio Uguccionius, Sostenius de Sosteneis, demum Alexius de Falconeriis. Cum hi trigesimotertio supra millesimum ac bis centesimum annum, quadragesimo Assumptae Virginis festo, in sodalitio quodam, cui titulus Laudantium erat, Augustissimae Dei Genitrici, prout par erat, laudes exsolverent; ab eadem lucidissime iis apparente, ingenue moneri se senserunt ad sublimioris vitae genus posthabito Mundo amplectendum: absolutisque idcirco, quibus dabant operam, laudibus, confestim reversi in unum, collatisque mutuo consiliis, Dei [supernis] vocantis, vocantisque Deiparae oraculis parere mox fecerunt quod et sedulo factum e ab iisdem: nam consulto [statim] mature Urbis Episcopo, post fortunae abdicatis bonis, erogatisque ante in egenos, ciliciis carni obstrictis vilioribus detritisque vestibus cinerei coloris induti, in ruralem parvam aediculam secesserunt na-

tali

talitio die amantissime ipsorum Parentis, et
vitæ sanctioris primordia optime norunt, qua die
mortalibus orta sanctissimam vitam ipsa in:
choaverat. Tu autem Domine.

R. Omnes isti congregati sunt, venerunt
Domina, tibi: et omnibus his velut orna:
mento vestieris.

V. Et circumdabis tibi eos, quasi sponsa:
et omnibus.

Lectio V.

Sic septem hi Viri, charitatis fœdere devincti,
eadem in domo simul unierunt cum ecce per
Urbem visos, statim Domina sic disponente, no:
ventque infantiles voces Deipara, ex in:
fantium ore, ac lactentium, inter quos tum
puer erat S. Philippus Benitius vix quintum
mensem ingressus, se Mariæ clamari servos
insperato est auditum. Quanta tunc et ex:
inde amoris flamma in Dominam suam, cujus
(ignaris ipsis) de Manti serva erant, excitatis
studiis exarserint, non facile est explicatu.
Illud solum satur, quod sic ei dediderint se,
ut veluti Matrem suam venerari, maximo:
que honore habere, morem ei gerere in omni:
bus, et obtemperare propter eam cunctis sum:
mopere studuerint. Hinc etiam adeo jucundi
gratique ei fuere ut, cum vitaturi populi
plausum in senarium montem ab ipsa iis præ:
osten

desertum habitaturi contenderant; ibique Crucifixum Iesum, moestissimamque Matrem dolentes assidue recolerent, apparuit illa eis, habituque lugubri assignato in memoriam dolorum suorum, ut compaterentur istis eos consecravit. Tu autem Domine.

R. Vocabo servos meos et induam illos tunica mea, et cingulo meo confortabo eos: Et potestatem meam dabo in manibus eorum.

V. Et erunt quasi Patres habitantibus Ierusalem. Et potestatem.

Lectio VI.

Ita cinericiis vestibus, indulgente etiam Episcopo, in nigras mutatis, post nonnullos annos fortunatis quidem auspiciis, clarissimum illud Praedicatorum ordinis decus S. Petrus Martyr Florentiam accessit, et audita inspectaque simul non fucata sanctimonia ipsorum, ita Dei amici se coeperunt mutuo diligere, ut familiarissime versarentur invicem secum, seseque alterne foverent. Inter caetera porro illud accidit, quod sperante inclito Martyre honorem Deo non modicum, magnumque terris commodum proditum iri, si propalata virgine longe, lateque propagarentur, una cum ipsis impense eam exorante, ut argumento aliquo voluntatem suam patefaceret, invocata Virgo amans in visione ei revelavit se viros illos septem, et qui venturi erant post eos, inter mundi homines omnes ad singulare servitium suum selegisse, et commiserandis

signis

pænis jam satis suis amarissimis confirmandam ordinem esse ad sui honorem, et gloriam. Hoc prodigioso Virginis decreto animati humillimi Patres, non quia suæ mentis fuisset successores posteris relinquere, sed ut jussa reserata fecerent supremæ eorum Reginæ, quæ nomine suo duraturam sibi familiam fundari voluerat instituere deinceps sacrum servorum ordinem decreverunt: non tam ut primi ejus fundatores, quam ut cælestis suæ fundatricis Ministri obsequentes: quos proinde Dominus, ut servos bonos, et fideles suos, ac Matris, in vita multis virtutibus, in morte multis prodigiis, post transitum multis Miraculis adornavit: novissime vero Benedictus Decimustertius, ejus instituti Professor, cujus S. Petrus erat, ejus quoque in eos heres amoris, Pontifex renunciatus, eorum miram institutionem ut inclaresceret orbi, lectionibus his recenseri peramanter consuluit, ac mandavit.

Tu autem Domine.

R. Vidi conjunctos viros habentes lugubres vestes, et Angelus Domini locutus est ad me dicens: Isti sunt viri S. facti amici Dei.

V. Vidi Angelum Dei fortem volantem per

medi-

medium cælum, voce magna clamantem, et dicen-
tem. Isti sunt. Gloria Patri. Isti sunt.

In III. Nocturno. Antiph.

Ingredientes sine macula, et operantes justi-
tiam, habitaverunt in tabernaculo tuo; et
requieverunt in monte sancto tuo.

Psal. Dñe, quis habitabit.

Antiph. Gloriam, et magnum decorem im-
posuisti super eos Regina Martyrum, cum
in memoriam dolorum tuorum lugubrem
vestem eos induisti.

Psal. Dñe in virtute tua.

Antiph. Hæc fuit generatio quærentium
Dñam, quærentium stellam ex Iacob.
Te laudamus Rex glorię.

Psal. Dñi est terra.

V. Justi autem in perpetuum vivent.

R. Et apud Dñum est merces eorum.

In tertio Nocturno Homilia in Evange-
lium. Nolite timere pusillus grex.
ut in comuni Conf. non Pont. 2. loco.

R. VII. Dabitur lugentibus Sion corona
pro cinere, oleum gaudii pro luctu,
pallium laudis pro spiritu mœroris: et
vocabuntur fortes justitię, plantatio Dñi
ad glorificandum.

V. Sacerdotes Dñi vocabuntur: ministri
Dei

Dei nostri. Et vocabuntur.
Benedictio. Quorum festum colimus.
℟. VIII. Ego quasi vitis fructificavi suavitatem odoris: Et flores mei fructus honoris et honestatis.
℣. Ego Mater pulchræ dilectionis, et timoris, et agnitionis, et sanctæ spei. Et flores. Gloria Patri. Et flores.

Ad Laudes et per Horas
Antiphona.

Sapientia ædificavit sibi domum, excidit columnas septem.
Psal. Dominus regnavit. cum reliquis de laudibus Dominicæ.
Antiph. Viri erant viri septem boni testimonii, pleni spiritu sancto et sapientia.
Antiph. Apparuit eis Dona Angelorum, et dilexit eos in visione, et in agnitione magnalium suorum.
Antiph. Beati viri tui Regina omnium: beati servi tui, qui stant coram te semper.
Antiph. Laudem dicite Deo nostro omnes servi ejus, et qui timetis eum pusilli, et magni.
Capitulum. Fratres, mementote. ut supra.
Hymnus

Hymnus

Inclyti Patres, Dominaeque Mundi
Impigri servi, famulatus ipse
Dicite, oh quali rutila corona
Vos redimivit!

Nosis ad caelos subito evocatus
Omnium Princeps celebris Monalde,
Quem sibi ut charum Genitrix superna
Duxit ad aethram.

Tuque dic nobis, Bonajuncta felix,
Qui Dei funus memorans ad aram,
Dum recensebas obiisse Jesum,
Ipse obiisti.

Indica et tu Sostenee, ac Hugucci
Ambo qui e terris simul emigrastis
Angelos inter, vehente secum
Virgine utrumque.

Te modo cupiti veneremur, Manette,
Qui velut Cygnus cineri propinquus,
Dulces Hymnos alacer Mariae
Fata subisti.

Sic, Amidee, et tibi gratulamur,
Cujus ardorem morientis; ignis
Visus effervens apice in fenestris
Belle aperivit.

Nunc tibi festis modulis, Alexi,
Plaudi=

Plaudimus, quam prope vite, agnum
Virginis natum tibi blandientem
fecta dedisse.

Sit Deus Patri, paribusque Proli,
Flamini et sancto, tribuatque nobis
Emulos horum fieri in celesti
Virgine Diva. Amen.

℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Letabuntur in cubilibus suis.
Ad Benedictus Antiph.

Fecit misericordiam Dominus cum Patribus nostris: erexit nobis cornu salutis in domo sue Genitricis. serviamus illi.

Orãõ. Dome Jesu Christe. ut supra.

Ad Tertiam Antiph. Isti sunt viri septem.
Capit. Fratres Mementote. ut supra.

℟. brev. Letamini in Dño et exultate justi. Letamini.
℣. Et gloriamini omnes recti corde.
Et exultate. Gloria Patri. ~~Et exultate~~. Letamini.
℣. Exultent justi in conspectu Dei.
℟. Et delectentur in letitia.

Ad sextam Antiph. Apparuit eis Dña.
Omnes isti in generationibus gentis sue glori=

gloriam adepti sunt, et in diebus suis habentur in laudibus:

℟. breve. Exultent justi in conspectu Dei. Exultent.
℣. Et delectentur in lætitia. In conspectu.
Gloria Patri. Exultent.
℣. Justi autem in perpetuum vivent.
℟. Et apud Dominum est merces eorum.

Ad Nonam Antiph. Laudem dicite Deo

Capit. Filii eorum propter illos usque in æternum manent. Semen eorum, et gloria eorum non derelinquetur.

℟. breve. Justi autem in perpetuum vivent. Justi.
℣. Et apud Dominum est merces eorum. In perpetuum.. Gloria Patri. Justi.
℣. Exultabunt sancti in gloria.
℟. Lætabuntur in cubilibus suis.

Ad Vesperas Antiph. Sapientia. cum reli. ut sup. in Laud. Psal. Dixit Dominus cum reli. de Dña. et loco ultimi Psal. Laudate Dominum omnes Gentes.

Capit. Hymnus, et ℣. ut in 1. Vesperis.

Ad Magnificat, Antiphona.

O Magnum charitatis opus! Regina generis humani primis servorum Patribus mire apparens, e mundo eos evocare, singulariter sibi seligere, lugubrem vestem induere, u=

nam

naque cum posteris in peculiares Servos, ac filios conservare dignata est. Te Mater dulcissima, et Dona, laudamus, benedicimus, glorificamus.

Oratio. Done Jesu christe. ut supra.

Die 11. Maji.

Octava S. Marci. Duplex. Omnia ut in die, præter ll. sequentes ex Octavario Ro:

In 1. n. lect. de Scrip. oc.

In 2do Noct.

De expositione S. Gregorii Papæ super Ezechielem Prophetam.

Hom. 3. lib. 1. Lectio. IV.

Quatuor ergo facies uni sunt: quia si requiras quid Matthæus de incarnatione Domini sentiat: hoc nimirum sentit, quod Marcus, Lucas, et Joannes. Si quæras quid Joannes sentiat, hoc procul dubio, quod Lucas, Marcus, et Matthæus. Si quæras quid Marcus; hoc quod Matthæus, Joannes, et Lucas. Si quæras quid Lucas; hoc quod Joannes, Matthæus, et Marcus sentit. Quatuor ergo facies uni sunt: quia notitia fidei, qua cogno:

cognoscuntur a Deo, ipsa e in uno, quae est simul in quatuor. Quidquid enim in uno invenerís; hoc in omnibus simul quatuor cognosces. Tu autem Domine. ℟. Lux perpetua.

Lectio. V.

Et quatuor pennę uni: quia Dei omnipotentis Filium Dominum nostrum Iesum Christum simul omnes concorditer predicant, et ad divinitatem ejus mentis oculos levantes, penna contemplationis volant. Evangelistarum ergo faces ad humanitatem Domini pertinet, penna ad divinitatem: quia in eum, quem corporeum aspiciunt, quasi facies intendunt. Sed dum hunc esse incircumscriptum atque incorporeum ex divinitate annuntiant, per contemplationis pennam quasi in aera levantur. Quia itaque una est fides incarnationis ejus in omnibus, et par contemplatio divinitatis ejus in singulis, recte nunc dicitur: quatuor facies uni, et quatuor pennę uni. Tu autem Done. ℟. Virtute magna.

Lectio. VI.

Sed quę virtus esset, si fidem, atque contemplationem Domini habentes predicatores illius, sancta opera non haberent? Sequitur: et pedes eorum pedes recti. Quid per pedes, nisi gressus actuum designantur. quatuor ergo animalium pedes recti esse

ẽẽ dicenbuntur, quia sanctorum Evangelistarum, atque omnium perfectorum opera ad sequendam iniquitatem non sunt retorta. Illi autem pedes rectos non habent, qui ad mala mundi quę reliquerunt, reflectuntur: de quibus scriptum est. Canis reversus ad suum vomitum. Tu autem Dñe. ℟. Isti sunt Agni.

In tertio Nocturno.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Lectio VIII.

In illo tempore. Designavit Dominus et alios septuaginta duos: et misit illos binos ante faciem suam in omnem Civitatem, et locum, quo erat ipse venturus. Et reliqua.

Homil. S. Augustini Episcopi Hom. 42. de sanctis ser. med.

Ipse Dominus noster loculos habuit in via, et ipsos loculos Jude comendaverat. Patiebatur quidem furem: sed ego a Domino meo discere cupiens, dico: Domine patiebaris furem, ... habebas, unde tolleret. Me hominem miserum et infirmum monuisti, nec sacculum portare. Tu portasti loculos, et erat ubi furem paterę:ris. Si non portares, nec ille inveniret, quod auferret. Quid restat nisi quod hic dicat mihi: intellige quod audis, noli portare sacculum. Quid est sacculus? pecunia clausa, idest occulta sapientia. Nolite fieri sapientes penes vosmetipsos. Accipite Spiritum sanctum. Fons in te debet esse

esse, non sacculus, unde erogetur, non ubi includatur. Tu autem Dōne. ℟. Ego sum vitis vera.

Lectio VIII.

Neminem in via salutaveritis. Potest quidem et simpliciter sic accipi, quia jussit nos festinanter agere injuncta. Sed est aliud, quod hic magis recogitem non dissimile intelligere, quod plus pertinet ad me, et ad omnes dispensatores, sed et ad vos auditores. Qui salutat salutem dicit. nam et antiqui in Epistolis suis sic scribebant, ille illi salutem. Salutatio a salute nomen accepit. Qui salutat in via per occasionem salutat. Video vos cito intellexisse, nec tamen debeo jam finire. Non enim omnes cito intellexistis. Sed quia de via loquimur, tamquam in via ambulemus. Veloces tardos expectate, et pariter ambulate. Tu autem Dōne.
℟. Candidi facti sunt

Lectio IX.

Quid ergo dixi? qui in via salutat, per occasionem salutat. Non ad eum ibat, quem salutat. Aliud agebat, aliud occurrit, aliud petebat, aliud transverso, quod ageret, invenit. Si ergo predicas, hoc age per dilectionem, non per occasionem. Sunt ergo homines, qui sua quęrentes non aliud predicant Evangelium, de quibus Apostolus gemens dixit. omnes enim sua quęrunt, non quę Jesu Christi; et hi salutabant, hoc est,

est, salutem annunciabant; Evangelium predicabant, sed aliud querebant, et ideo per occasionem salutabant. Tu autem Dne. Te Deum.

Vesp. de Invent. S. Crucis cum com. oct. S. Marci.

Die XVIII. Junij.

In festo B. Gregorii Barbadici Episc. et Conf. Duplex.

In toto Dominio Veneto.

Omnia de com. Conf. Pontif. preter ea, que seq.

Oratio.

Deus, qui B. Gregorium Confessorem tuum, atque Pontificem pastorali sollicitudine, et pauperum miseratione clarescere voluisti: concede propitius; ut cujus merita celebramus, charitatis imitemur exempla. Per Dnum

In I. Noct. Lect. de Scrip. occurr.

In II. noct. Lectio IV.

Gregorius Barbadicus patris ac nobilissimis Parentibus Venetiis natus est. A prima pueritia sacrarum rerum studio, ac religiosissima indole ineunde Ecclesiastice vite prelubere visus est. Humanioribus litteris, ac Philosophicis disciplinis ab ipso Patre apprime docto diligenter institutus, gravioribus studiis Patavii operam dedit: ac juris utriusque lauream magna

magna ingenii laude ibidem consecutus est.
Undevigesimum agens annum cum Veneto
Oratore pacis conciliandę causa ad Mona=
steriensem in Westphalia Conventum
profectus, magnam, præclara, ac suavis=
sima indole, apud Fabium Chisium iis
in comitiis Pontificium Legatum iniit gra=
tiam: eoque hortatore Ecclesiasticę militiæ
nomen dare constituit. Sacris deinde initi=
atus, ab eodem Chisio, Alexandri VII. nomi=
ne ad Pontificatum assumpto, Romam e=
vocatus, primum Patavinę Ecclesię Canonicus,
tum inter domesticos Præsules adscitus,
Transtyberinę Urbis Regioni lue epidemica
laboranti præficitur: quo in munere, eaque
publica calamitate, eximię præbuit argu=
menta charitatis. Mox Bergomensis Eccle=
się Episcopus renuntiatur. paucis inde post
annis Cardinalium collegio adscriptus, in=
vitus licet, jussu ejusdem Pontificis ad Ec=
clesiam Patavinam translatus est.
Tu autem Dõne. ℟. Inveni David.
Lectio

Lectio V.

In Ecclesię utriusque regimine sanctum Carolum Borromæum sibi ad imitandum proposuit, cujus Pastoralem sollicitudinem, animarum zelum, Sacerdotalem constantiam, cęterasque virtutes ita est adsequutus, ut alter Carolus vulgo appellaretur. Ad Cleri, populique disciplinam restituendam aggressus, primum seipsum, familiamque suam ita ordinavit, atque composuit, ut inde manerent ad ceteros omnium exempla virtutum. Convellendis pravis consuetudinibus, Christianę catechesis scholis inducendis, ac propagandis, singulis Diœcesis locis perlustrandis, gregi universo cum prędicatione tum litteris continenter docendo, hortando, monendo adeo alacriter studuit, ut ad extremum usque spiritum nec laboribus, nec vigiliis pepercerit. Instituendę litteris, ac pietate juventuti, Clericorum Seminarium in utraque Diœcesi amplificavit, ac redditibus auxit. Patavinum vero scientiarum fere omnium scholas, linguarum prєterea orientalium magistris instruxit,

Bibli-

Bibliothecam addidit, ac Typographiam; ipsum=
que ex asse heredem sibi scripsit. Magna a=
pud Summos Pontifices, ac Principes viros
existimatione, et fama virtutis fuit. Cardi=
nalium suffragiis in eum, ut Pontificem
eligerent, conspirantibus, obstitit moderati=
one, et constantia singulari, omnique stu=
dio, ac conatu supremam a se dignitatem
propulsare curavit. Tu autem Domine.

℟. Posui adjutorium etc.

Lectio VI.

Orationis frequentia, abstinentiæ, ac pie=
tatis studio, religionis disciplinæ, ac justitiæ
zelo mansuetudine eximia temperato, re=
rum terrenarum, suique ipsius contemptu
quam maxime prestitit. In egenos, et pau=
peres ea fuit misericordia, et largitate, ut
exhausta profusis eleemosynis arca, dome=
sticam supellectilem, vestes, ac lectulum
ipsum in eorum subsidium erogaverit. In
tuendis Ecclesiæ suæ juribus, ac gregis mori=
bus reformandis, diuturna et gravissima
incommoda tulit, animo semper æquabili
atque imperturbato. Homines vero sibi in=
fensos

fensos præcipua dilectione complexus bene=
ficiis oneravit. Ab iniquo aggressore quæsitus
ad necem sciopi brevioris ictum ope divina
illæsus evasit; horrendum vero Parricidæ
facinus, ne in vulgus efferretur, prohi=
buit; et injuriæ patiens ignovit libenter ini=
mico suo. Vitæ demum asperitate, ingentibus
curis, assiduisque laboribus attritus et fractus,
brevi lethali morbo correptus, annum agens
septuagesimum secundum, Sacramentis vitæ
expiatus, placidissime excessit decimo quarto
Kalendas Julii, anno millesimo sexcentesi=
mo nonagesimo septimo, cum annos septem
Bergomensem, ac tres supra triginta Pa=
tavinam rexisset Ecclesiam, egregiis utro=
bique relictis beneficentiæ, et sanctitatis suæ
monumentis. Meritis, et virtutibus clarum
Clemens decimustertius, ejus olim in Episco=
patu Patavino successor, Beatorum fastis
adjunxit anno millesimo septingentesimo
sexagesimo primo Pontificatus sui quarto,
ejusque officium, et Missam ab utraque Eccle=
sia Bergomensi, et Patavina, nec non Veneta,
celebrari concessit. Tu autem Domine.

℟. Iste est, qui ante etc.

In III. noct. hom. in Evang. Homo peregre. de com. Conf. Pont.

Die

Die XVII. Julii.

In festo Translationis S. Marinę Virginis.
Dup. 2 Cl. pro veneta Civit. Pro Dominio autem
Veneto. Dup. maj.

Omnia de com. Virg. preter ea, quę sequunt.

Oratio.

Concede, quęsumus Domine, ut suffragantibus precibus B. Marinę Virginis, cujus translationis memoriam colimus, ab omnibus liberemur angustiis. Per Dominum etc.

ll. 1. Noct. de Epist. S. Pauli De Virginib. de com. Virg. in 2. Noct.

Lectio IV.

Marina, egregiis decorata virtutibus, et clara miraculis, in Bithynia floruit: cujus sanctitas vitę, pęnitentia, oratione, et mirabili rerum omnium humanarum contemptu maxime eluxit. Sacrę ipsius Reliquię sęculo Christi decimotertio Constantinopoli Venetias translatę, in Ecclesia S. Liberalis, quę postea a Marina nomen accepit, religiose conditę fuerunt; et usque in hodiernam diem fere incorruptę magna populorum frequentia coluntur. Dux, ac Senatus, ut beneficiorum ipsius intercessione receptorum memoriam perennarent, anno salutis mil-

less-

DIE XVII. JULII.

In Festo Translationis

SANCTÆ MARINÆ

VIRGINIS

Patronæ minus principalis Civitatis Venetiarum.

In eadem Civitate
DUPLEX SECUNDÆ CLASSIS;

In universo vero reliquo Dominio Serenissimæ Reipublicæ Venetæ
DUPLEX MAJUS.

Omnia de Communi Virginum tantum, præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

Concede, quæsumus, Domine, ut suffragantibus precibus Beatæ Marinæ Virginis, cujus translationis memoriam colimus, ab omnibus liberemur angustiis. Per Dominum &c.

Et fit commemoratio juxta occurrentiam.

IN I. NOCTURNO.

Lectiones: De Epistola 1. Beati Pauli Apostoli ad Chorinthios. De Virginibus præceptum Domini non habeo &c. *cum* ℟℟. *pro Virgine tantum.*

IN II. NOCTURNO.

Lectio iv.

Marina egregiis decorata virtutibus, & clara miraculis, in Bithynia floruit, cujus Sanctitas vitæ, pœnitentia, oratione, & mirabili rerũ omnium humanarum contemptu maxime eluxit. Sacræ ipsius Reliquiæ, sæculo Christi decimotertio Constantinopoli Venetias translatæ in Ecclesia Sancti Liberalis, quæ postea a Marina nomen accepit, religiose conditæ fuerunt, & usque in hodiernam diem fere incorruptæ magna populorũ frequentia coluntur. Dux

 ac Se-

ac Senatus, ut beneficiorum ipsius intercessione receptorum memoriam perennarent, anno salutis millesimo quingentesimo duodecimo inter Patronos retulerunt, ejusque Festum decimo sexto Kalendas Augusti, quo die Sacrorum Lipsanorum translatio peracta est, solemni Cleri, Populique supplicatione celebratur. Tu autem &c.

℟. Propter veritatem, & mansuetudinem, & justitiam: * & deducet te mirabiliter dextera tua. ℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede & regna. Et deducet.

Ex Libro S. Athanasii Episcopi de Virginitate.

Lectio v.

QUæ conjungitur super cælesti sponso voluntatem sui Sponsi facit. Ea autem est voluntas Christi, ut ea, quæ sibi conglutinata est, nihil secum hujus sæculi ferat, aut terrestria curet, sed solum ut crucem ejus, qui pro ipsa crucifixus est, bajulet, ejusque curam habeat, & de ea solicite cogitet, & die, & nocte, & perpetuis hymnis, & glorificationibus eum celebret & illuminatum habeat mentis oculum, & sciat illius voluntatem, & faciat, cor simplex possideat, & mentem puram. Misericors sit, quemadmodum ipse misericors est. Ita & nos eum sequamur. Tu autem &c.

℟. Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem. * Propterea unxit te Deus, Deus tuus oleo lætitiæ. ℣. Propter veritatem, & mansuetudinem & justitiam. Propterea.

Lectio vj.

MAnsueta, & quieta sit, ac tolerans malorum, nulli malum pro malo reddens, multas contumelias sustinens, quemadmodum ipse a Judæis contumeliis affectus est, & sustinuit, verbera, & torturas ferat. Imitare Dominum tuum. Si enim ille, quum Deus esset, toleravit propter te ab homine peccatore colaphis cædi, tu scilicet indignaris, quod hostis tibi convicium dicit, & paras ultionem? Proh immensam animi stoliditatem, & stultitiam magnam! In multa humilitate in hunc mũdum venit, & opulentus quum esset, egenus factus est propter nos, & natus est ex Deipara Virgine, ut nos

ut nos afferat a peccato. Tu autem &c.

℞. Afferrentur Regi Virgines post eam, proximæ ejus, * Afferentur tibi in lætitia, & exultatione.

℣. Specie tua, & pulchritudine tua intende, prospere procede, & regna. Afferentur. Gloria Patri. Afferentur.

IN III. NOCTURNO.

Homilia in Evangelium: Simile erit Regnum Cœlorū Decē Virginibus &c. *de Communi Virginum.*

MISSA.

Dilexisti *de Communi Virginum cum Oration. prop. ut sequitur.*

ORATIO.

COncede, quæsumus Domine, ut suffragantibus precibus Beatæ Marinæ Virginis, cujus translationis memoriam colimus: ab omnibus liberemur angustiis. Per Dominum nostrum &c.

Et fit commemorat. juxta occurrentiam, & sic ad Secret; & Postcommun.

SECRETA.

SAcri nos, Domine, muneris operatio mundet, ac renovet, & interveniente Beata Marina donis societ sempiternis Per Dominum nostrum &c.

POSTCOMMUNIO.

SAcris cælestibus, Domine, vitia nostra purgentur: ut contra spirituales nequitias pugnaturi, precibus Beatæ Marinæ, continentiæ muniamur auxiliis. Per Dominum nostrum &c.

UTINI, MDCCLXIV.

Ex Typograph. Archiepisc. apud Jo: Bapt. Mureri.
Superiorum permissu.

lutus -

D

omi

Joa
Ve
br
m
am
fe
Ma
Cle

Die XX. Decembris fit festum
B. Ioannis Marinoni Conf. non Pontif.
Oratio.
Domine Jesu Christe, qui beatum Ioannem Confessorem tuum per assiduam Passionis tuae contemplationem imitatorem tui eximium effecisti: ipsius quaesumus intercessione concede; ut ejusdem vestigiis inhaerentes, Passionis tuae fructus percipere valeamus. Qui vivis, et regnas cum Deo Patre etc.
In I. Noct. ut in Kalend.
In II. Nocturno. Lectio IV.
Ioannes Marinonius ex illustri Familia Venetiis natus, Canonicus fuit in celebri S. Marci Basilica, ubi non pauca praebuit virtutum exempla, sed divini amoris aestu ad majora vocatus, perfectius vitae institutum sibi proposuit. Motus enim fama nascentis tunc Ordinis Clericorum Regularium Teatinorum, provo-
latus

ludus pedibus S. Cajetani ejusdem Ordinis Institutoris, ab ipso impetravit, ut suos inter Alumnos cooptaretur. Incredibile autem dictu est, quanta animi alacritate novum hoc vitę genus amplexus fuerit. In observandis instituti legibus diligentissimus, orationi continuo intentus; cilicio, jejuniis, vigiliis corpus exercens suum, exemplum sese omnibus prębuit verę Evangelicę perfectionis. Contemplationi prę sertim Dominicę Passionis addictus, tantam inde hausit humilitatem, ut vilissimum se peccatorem coram Deo, et hominibus profitens, cum oblatum sibi intelligeret a Pontifice Paulo quarto Archiepiscopatum Neapolitanum, precibus, et lacrymis imploraverit, ne tanta sibi dignitas conferretur. Hinc solum cogitans, quę

Dei

Dei sunt, vitam duxit tam castam, et omni virtutum genere exercitatam, ut a s. Cajetano Angelus in carne, et a s. Andrea Avellino viva imago veræ sanctitatis diceretur.

℟. Honestum fecit illum etc.

Lectio V.

Charitate erga Proximum, Pater Pauperum, et Angelus consilii ac pacis dici poterat. In reficiendis enim egenis, et visendis infirmis, iisque assiduo in publicis Nosocomiis tum Neapoli, cum Venetiis adjuvandis paternæ ostendit viscera misericordiæ. Spiritum vero consilii ostendit maxime in regendis tum Religiosis suis, quibus plures per annos præesse ... coactus est, tum pluribus Sanctimonialibus, aliisque spiritualibus filiis, inter

inter quos præsertim fuit Cardinalis de Aretio, cujus heroicas virtutes jam Sedes Apostolica approbavit, ac sanc Andreas Avellinus, quem universa veneratur Ecclesia. Ad pacem hortar Principes per litteras conabatur, cum bellum imminens videretur. Pacem initam prægnoscens, prophetico quodam spiritu concionando annuntiavit; ut Populum consolaretur. Pacem quoque afferre turbatis spiritibus, et anxiis conscientiis peculiare fuit ejus donum, quod maxime effulsit, cum morientibus præsto esset.

℟ Amavit eum Dominus etc.

Lectio

Lectio VI.

Pro honore Dei Vir licet suavis, et mitis, zelo exarsit maximo in Hereticorum erroribus, et in sęculi vitiis expugnandis. Pluries in hebdomada ad Populum, pluries in die ad Religiosos suos de divinis rebus sic loquebatur, ut in simplicitate sermonis, igneo veluti eloquio pręditus videretur, et quasi de parva scintilla magnum in Populo excitans divini amoris incendium, omnes implebat horrore, ac dolore culparum, ut pęnitentiam peragerent. Lethali demum morbo correptus, meritis plenus Neapoli in ędibus S. Pauli obdormivit in Domino ętatis suę anno septuagesimo secundo

secundo, fama sanctitatis, et mira:
culorum maxime clarus.
℟. Iste homo perfecit etc.
In III. Nocturno ut in Kalendario.

E

J

OFFICIA PROPRIA SANCTORUM

Ex Apostolicæ Sedis Indulto

Ab utroque Diœcesis Utinensis Clero Recitanda.

Nunc primum collecta

JUSSU

Illmi ac Rmi D. D.

JO: HIERONYMI GRADONICI

ARCHIEPISCOPI &c. &c.

UTINI, MDCCLXXII.

EX TYPOGRAPHIA ARCHIEPISC.
Apud Fratres Murero.
SUPERIORUM PERMISSU.

In Memoria æterna erit Justus.

Psalm. CXI. *v.* 7.

ad usum Dni Angeli
Stajani

[illegible]

Illmus ac Rmus D. D.

JO: HIERONYMUS GRADENIGO

DEI, & Apostolicæ Sedis Gratia

ARCHIEPISCOPUS UTINENSIS

Ac S. Petri Rosacensis Abbas, & Marchio &c.

Ad Universum Clerum tum Sæcularem tum Regularem Propriæ Diœcesis.

INter cætera Pastoris munia quibus rite obeundis Nos impares vere fatemur, illud etiam nobis suscipiendum esse existimavimus, ut Sanctorum cum Christo regnantium, quorum sanguine, doctrina, præclaris virtutum omnium exemplis religio apud nos aut primum exorta est, aut floridius enituit: quive bis nominibus optime de nobis me-

riti, peculiarem in Diœcesi hac nostra cultum obtinent, Officia quidem omnia in unum libellum collecta nunc tandem prodirent; quædam vero propriis, quibus carebant, Lectionibus augerentur. Quamquam enim majus illud commodum, quod Collectio hæc utrique Clero, & Sanctimonialibus allatura est, negligere licuisset; certe ferendum non erat, ut qui, dum viverent, omnium ore celebrati sunt, qui tot, ac tantâ edidere argumenta Sanctitatis, adhuc nomine tenus plerisque nostrum innotescerent. Nihil profecto consonum magis est moribus Ecclesiæ, quam ut cujusvis Sancti res gestæ, quæ sinceris litterarum monumentis traditæ supersunt, in Natali cujusque die inter Psalmos, hymnos & cantica legantur, & quo tempore laudes omnipotenti Deo persolvimus pro tradita servis suis victoria & corona,

simul

ſimul noſmetipſos ad eorum, quoad licet, imitandas virtutes facilius excitemus. (1) Per hoc enim, *ut ſapienter animadvertit S. Bernardus in Prologo ad vitam S. Malachiæ*, quodammodo apud nos etiam poſt mortem vivunt, multoſque ex iis, qui viventes mortui ſunt, ad veram provocant, & revocant vitam.

Quem morem uberrime a Merato illuſtratum (2) *apud nos jamdiu viguiſſe teſtantur Paſſiones Martyrum, quibus admixtæ ſunt vitæ Sanctorum Confeſſorum, tum in vetuſtis Codicibus, qui noſtra hac ætate extabant in Tabulario Aquilejenſi, tum in iis, quos adhuc ſervant Inſignis Collegiatæ Forojulien-*

(1) Tom. II. p. 657. N. E.
(2) In Gavantum Sect. V. Cap. XII. num. VIII. &c.

liensis Ecclesiæ Canonici. Hinc est (1) *quod Concilium Aquilejense, cui Raymundus Patriarcha præfuit Anno* MCCCXXII. *nedum in Civitatis, ac Diœcesis, sed in universæ etiam Provinciæ Ecclesiis Ss. Martyrum ac Patronorum* Legendam *haberi præceperit, Acta scilicet, quæ in solemni eorumdem Festo recitari consueverant. Suas etiam* Legendas *habuerunt cæteri Christi Martyres & Confessores, quibus peculiarem & proprium Aquilejensis Ecclesia honorem adhibuit; iisque majores nostri utebantur,* (2) *donec, abrogato sub finem seculi* XVI. *Aquilejensi ritu, Romanum amplecti, ac sequi maluerunt.*

Cum vero Franciscus Barbarus, qui Ecclesiam illam postea suscepit admi-

(1) Apud de Rubeis Monument. Eccl. Aquil. Cap. LXXIX.

(2) Concil Provinc. Aquil. an. 1596. Utini celebratum Cap. IV.

administrandam, ex antiqui ri us immutatione profectum esse animadverteret, ut Sanctorum Aquilejensium lectiones passim e Communi *sumerentur,* (1) *proprias Clero recitandas proponere meditabatur. Reipsa plura extant in Archiepiscopali Nostro Tabulario hujusmodi lectionum specimina, quæ consilium produnt Antistitis celeberrimi, sive ejus morte, sive gravioribus ad Concilii Tridentini præscriptum instaurandæ disciplinæ curis interceptum. Aliquid tamen, idque felici eventu, in hoc negotio moliti sunt illius Successores. Curante enim Joanne Cardinali Delphino lectionibus propriis auctum fuit Ss. Martyrum, & Patronorum Hermagoræ primi Aquilejensis Episcopi, &*

(1) V. Calendar. illius ævi ad dies 16. 19. 23. Jan 8. Febr. 15. 17. April. 14. Maii. 3. 5. 26. Jun. 12. Jul. 22. Aug. 3. Sept. 2. 23. 27. Nov. 2. Dec. &c.

& Fortunati Diaconi Officium; ejusdemque optimi Præsulis studio Cancius & Socii, necnon quatuor Virgines jamdiu celebrantur. De Bertrando Patriarcha Sanctissimo non est, cur pluribus differendum nobis sit, cum recens extet, perennisque duratura sit memoria Danielis Cardinalis Delphini, qui, (studio usus Francisci Florii viri doctissimi tunc Aquilejensis Ecclesiæ Canonici, Nostri nunc Generalis Vicarii, atque Metropolitanæ Utinensis Ecclesiæ Præpositi) ut tanti Præsulis honor, quem Clemens VIII., adhibito Magni Ecclesiæ Annalium Parentis consilio, rite probaverat, magis amplificaretur, a Summis Pontificibus Benedicto XIV & Clemente XIII. impetravit.

Plura tamen, ut opus adeo præclarum atque utile numeris omnibus, quoad fieri posset, absolutum prodiret, agenda nobis supererant. Itaque,

que relictis, ut jacent, Ss. Martyrum lectionibus, quibus ex vetustate & usu magnum accedit pondus ac decus, omnem posuimus cogitationem curamque, ut integræ de Ss. Confessoribus nostræque Ecclesia Præsulibus, nempe Valeriano, Chromatio, & Paulino condi possent eæ lectiones, quas lætitiæ pleni Clero Nostro sacra in Psalmodia legendas exhibemus ex vetustissimis, iisque gravissimis depromptas memoriis, ipsoque Purpuratorum S. R. E., ad quos harum rerum spectat judicium, auctoritate comprobatas. Sunt enim depromptæ ex testimoniis Ambrosii, Hieronymi, Jo: Chrysostomi, Rufini, Alcuini, & Hincmari Rhemensis, qui res illorum persequuntur, zelum celebrant atque doctrinam, suspiciuntque sanctitatem. Neque vero Niceæ, seu Nicetæ Antistitis Aquilejensis, quem colimus die

XXII.

XXII. *Junii, ingrata nos cœpit oblivio; sed omnia, quæ ad ejus nomen illustrandum pertinent, diligenter collegimus, ut vix dubitandi locus supersit, quin aliquando optatum laboris nostri fructum, sin minus Nos, certe Successores Nostri consecuturi simus. Etenim vel illa, quam Sanctus Leo M. ad eum dedit, Epistola* (1) *Nicetam nobis exhibet virtutibus iis ornatum, quæ Pastorem decent, caritate præsertim in gregem suum Attilana Clade dispersum; cujus sanandis vulneribus, non prudentiæ suæ innixus, sed paternorum Canonum memor ea omnia ad Petri Sedem referenda censuit, quæ magnam difficultatem afferre videbantur. Cæterum antiquiorem esse, ac nonnulli putant, ejus cultum Calendaria testantur Francisci Barbari*

(1) N. CLIX. in Nupera Ballar. Edit.

bari atque Hermolai Fratris jussu edita Anno MDCXIII. *&* MDCXXII., *quæ ad die* XXII. *Mensis Junii inducunt Officium* Niceæ Episcopi Aquilejensis *ritu duplici recitandum: cui ornando paraverat laudatus Franciscus Patriarcha duas lectiones a Godefrido Henschenio relatas ad diem jam dictam Junii Bollandiani.*

Illud demum prætereundum non est, adjectas nunc primum ex Apostolicæ quoque Sedis Indulto lectiones Sanctorum, quos quatuor Ecclesiæ ex iis, quas Suffraganeas vocamus, nempe Cenetensis, Patavina, Tarvisina, Veronensis, Patronos venerantur. De Beltunensis, Concordiensis, Polensis, Vicentinæ Patronis nihil innovandum fuit; cum illorum lectiones in Breviario Romano habeantur. Superest ut Æmoniensis, Feltrensis, Justinopolitanæ, Parentinæ Ecclesiarum

Epis-

Episcopi, qui sibi jure suo id vindicant, vetera scrutentur monumenta; quibus, si fieri possit, novum hoc Sedibus suis ac Provinciæ Nostræ decus accedat.

Hæc præfari libuit, omnesque consilii & laboris nostri rationes aperire in novi hujus Libelli editione, quem ad D. O. M. gloriam, ad domesticorum honorem Sanctorum, ad Ecclesiasticam pietatem fovendam; ac tandem ad augendum nostræ Ecclesiæ decus agressi sumus. Verum (*liceat verbis uti S. Severi Sulpitii*) (1) Verum etsi ipsi non ita viximus, ut aliis exemplo esse possimus, dedimus tamen operam, ne is lateret, qui esset imitandus.

OF-

(1) In Prologo vitæ S. Martini T. 1. p. 5. N. E.

OFFICIA SANCTORUM.

DIE XIV. JANUARII.
In Festo B. Odorici Conf.

Duplex

Omnia de Com. Conf. non Pontif. cum Orat. Deus, qui nos *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo & in tertio Nocturno de Com. primo loco, cum IX. *lect; & com. S. Felicis Presbyteri Mar.*

DIE XVI. JANUARII.
In Festo S. Titiani Episcopi Conf. Ecclesiæ Cenetensis Patroni

Duplex

Omnia de Communi Conf. Pontif. exceptis Lectionibus secundi Nocturni. Oratio Da quæsumus *de eodem Com.*

In primo Nocturno.

Lection. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

TITIANUS Heracleæ nobili genere natus, voluptatum spretis illecebris, eo tempore Diaconus est ordinatus,

natus, quo Opitergiensi Ecclesiæ præerat Episcopus Florianus. cujus vitæ integritatem cum percepisset Titianus, Opitergium petiit, ut Episcopi se tradens disciplinæ, ipsius vitæ institutum imitaretur; libenter illum suscepit Florianus, & multis præditum esse virtutibus animadvertens, supremum Ecclesiæ œconomum constituit, ac Presbyterum ordinavit: munere œconomi egregiè functus est Titianus, cujus mira elucebat in rebus gerendis prudentia, mira charitas in sublevanda illorum miseria, qui egestate, & calamitate aliqua laborabant. Quamobrem cum Florianus desiderio martyrii flagraret, & Opitergium propterea relinquens, Episcopatu se abdicasset, Opitergensium communi consensu dignus judicatus est Episcopatu Titianus, nec eos fefellit opinio, nam factus Episcopus, veri Pastoris officio in omnibus fungebatur exemplo, & doctrina oves suas pascere non desistens, donec præmium laboris recepturus in cœlis ex hac vita migravit.

LECTIO V.

EJus post obitum sanctitas multis est comprobata miraculis: etenim ipsius meritis non solum effugabantur immundi spiritus, quibus multorum corpora tenebantur obsessa, sed cœcis visus, surdis auditus, ægris sanitas reddebatur;

batur; quorum miraculorum fama ejus parentes, vel propinqui moti, Opitergium accedunt, specie quidem, qua tanti viri amissione dolerent; sed revera, ut corpus illius per flumen Liquentiam, Heracleam asportarent: opportunam itaque aliquando occasionem nacti, noctu clam surripientes, Heracleam deferebant, quod ubi perceperunt Opitergienses, accurrunt, ut sibi Pastoris corpus redderetur. Una igitur illis altercantibus, senis cujusdam consilio cuncti steterant, qui, re prius precibus Deo commendata, consulebat, ut parva illa Navicula, qua Sancti viri corpus vehebatur, dimissa Dei nutui, committeretur: Quare navicula, cum aliquandiu per flumen sursum adversis undis delata esset, & ad locum quemdam, dictum Septimum, pervenisset, haud longius est progressa, sed substitit.

LECTIO VI.

IGitur cum inde ad alium locum corpus esset deductum, & omnis adhiberetur conatus, quo ad propriam sedem Opitergium reduceretur, dimoveri numquam potuit, quamvis hujus rei gratia multa animalia essent adducta, non sine Dei providentia, ut exitus probavit. Nam longe post Opitergium fuit destructum. At verò homines illi tanto miraculo permoti, cum quid agen-

dum esset, minus haberent exploratum, divinitus patefactum est, ad quem locum corpus Sancti Episcopi Deus vellet deferri, & Cenetam, præter omnium expectationem mirabiliter est delatum; ad quam Civitatem cum appropinquaret, immundus spiritus, quo Nobilissimi cujusdam viri filia vexabatur, vociferari cœpit, se Sancti Titiani adventu mirifice torqueri, & de sede sua expelli; mulier vero ad sacras Reliquias propius adducta libera prorsus remansit. Cenetenses autem obviam procedentes, & corpus Beati Episcopi suscipientes, Cenetæ in loco honestissimo collocarunt, ac ejus nomine Ecclesiam construxerunt, ad quam deinde Episcopatus Opitergiensis, post ejus devastationem est translatus.

In tertio Nocturno
De Communi primo loco.

DIE XXII. JANUARII.

In Festo S. Vincentii Ecclesiæ Vicentinæ Patroni, & S. Anastasii Mar.

Duplex.

Omnia dicuntur ut in Breviario, sed ritu dup.

DIE XXXI. JANUARII.

In Translatione S. Marci Evangelistæ: *Duplex.*

Omnia dicuntur de communi Evangelistarum præter Orationem.

ORATIO.

DEus, qui gloriosa B. Marci Evangelistæ membra nobis famulis tuis revelare dignatus es, concede propitius, ut qui ejus Corporis Translationem hodie venerando colimus, ipsius beatitudini, te concedente, adjungi mereamur. Per Dominum, &c.

Missa Votiva de Apostolis ut in Ordine assignata est.

ORATIO.

Deus, qui gloriosa &c. *ut supra.*

Secreta.

His, quæsumus Domine, muneribus intende placatus, & tribue supplicatione gloriosa Evangelistæ tui Marci, nos a peccatis omnibus absolvi, & cælesti gratia ditari. Per Dominum, &c.

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimoniis, quæsumus Domine Deus noster, ut intercedente Beato Marco Evangelista tuo, quod ore sumpsimus, pura mente capiamus. Per Dominum, &c.

DIE III. FEBRUARII.

In Festo S. Blasii Episcopi Mar.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. praeterea, quae sequuntur.

ORATIO.

DEus, qui nos Beati Blasii Martyris tui, atque Pontificis annua solemnitate laetificas, concede propitius; ut cujus natalitia colimus, de ejusdem etiam protectione gaudeamus. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

BLASIUS Cappadox nobili genere ortus Sebaste in Cappadocia ex Medico Episcopus creatus est, ut corporum curationi animorum cura succederet. Huic muneri cum sedulam, ac piam operam navaret, dira tempestas adversus Christianos a Lycinio Tyranno excitata fuit. Blasius divino instinctu Christi consilio, & exemplo in Montem Argeum se recepit, ac sese in speluncam abdidit, in qua rerum divinarum contemplationi vacans ab ipsis feris nativae feritatis oblitis quotidianum victum accepit, & multis obsequiis cultus est.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seducto-

ductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam . ℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum . Et dedit.

LECTIO V.

IBi tamdiu latuit dum ab Agricolai Præsidis militibus casu deprehensus, inde abstractus, & ad Præsidem ductus illius jussu in vincula conjectus est. Sed vinctus ipse multos, quos ejus Sanctimoniæ fama acciverat a diversorum morborum vinculis liberavit. In his puer fuit, qui desperata a Medicis salute, transversa spina faucibus inhærente, animam agebat. Illustris sanè tum corporum, tum animorum Medicus, non humana, sed divina arte, non paratis a natura remediis, sed Christi gratia comparatis ægros pristinæ saluti restituit, omni ferè miraculorum genere conspicuus; Nam Christi super aquas ambulantis, & Eliæ Saraptanæ Viduæ annonā multiplicantis miracula renovavit.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eū. ℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis, posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

LECTIO VI.

ATrocissimis tormentis crudelissimi Præsidis jussu cruciatus fuit. Du-

 ris

ris verberibus cæsus, tortus in equuleo; pectinibus ferreis dilaniatus, candenti lorica indutus, aliisque exquisitissimis suppliciis affectus fuit. Sed ejus fides probari quidem potuit, non tamen vinci. Dilacerato Corpore infractus animus restitit. Tandem victo Tyranno capite plexus, illustre fidei testimonium Ecclesiæ reliquit tertio Nonas Februarii anno Christi trecentesimo decimo sexto.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus: ℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et coronam.

In tertio Nocturno.

De Comm. unius Mart. secundo loco.

DIE VI. FEBRUARII.

In Festo S. Zoili Conf.

Semid

Omnia de Communi Conf. non Pontif.

In Hymno Iste Confessor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

Deus, qui nos *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Comm. primo loco cum 9. Lect. & com. S. Dorotheæ Virg. & Mar.

DIE

DIE VIII. FEBRUARII.

In Festo S. Juventii Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif.

ORATIO.

Da quæsumus *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio.

De Communi primo loco.

DIE IX. FEBRUARII.

In Festo S. Paulini Patriarchæ Aquilejens. Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter ea, quæ hic habentur.

In Hymno: Iste Confessor, *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

Da quæsumus, *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

LECTIO IV.

PAULINUS Patriarcha Aquilejensis ob morum integritatem, & doctrinam Carolo Magno Imperatori apprime carus; eo potissimum authore, eidem Ecclesiæ præponitur. Tantam in hoc munere prudentiæ, & Sacerdotalis constantiæ sibi famam adeptus est, ut me-

rito in Hæreticis expugnandis, ac publicis rebus componendis, in Italia, Gallia, & Germania, illius opera adhiberetur In generali Conventu Aquis celebrato Hadriani I. Summi Pontificis vices gessit: mox in Concilio Reinoburgi coacto Felicem Episcopum Urgellitanum de heresi convictum, & damnatum suaviter coegit, ut Romæ coram Pontifice errorem suum ejuraret; quem iterum opera Elipandi Episcopi Toletani ab eodem Felice excitatum, iterum in plenario Francofordiensi Concilio profligandum curavit.

LECTIO V.

IN Aquensi Concilio, Imperatori persuasit, ut Sancta Ecclesiæ Dei jura sarta tecta servaret. Catholicam Fidem, quam viva voce adversus Hæreticos vindicaverat, egregiis etiam scriptis defendit. A Patribus Francofordiensis Concilii rogatus, & Libellum Sacro-syllabum, & alios tres cælestis doctrinæ sale conditos, adversus Elipandi Toletani, & Felicis Urgellitani nefarios errores conscripsit, quos ad Galliæ, & Hispaniæ Provincias direxit. Eximii ejus zeli amore captus Imperator, Aquilejensi Ecclesiæ donationes jampridem factas probavit, amplioribusque conlatis privilegiis, atque immunitatibus cumulavit.

LECTIO VI.

Ecclesiasticam disciplinam, quam ipse, forma factus gregis ex animo, sibi prius exactissime observandam indixerat, in aliis ardentissime instaurandam suscepit. Forojulii, & Altini Provincialibus Synodis coactis, catholicum Dogma adversus Felicianos errores iterum asseruit, canonesque edidit ad disciplinam, moresque informandos sanctissimos. Miræ constantiæ, & præparati ad Martyrium animi, effusæ item in Deum, & Proximum charitatis, orationis, & contemplationis dono adeo illustris fuit, ut Principes Viri, qui precipuo dilectionis affectu eum prosequebantur, se ejus precibus multum commendaverint. His, aliisque virtutibus, ac Sanctorum scientia clarus, plurimis pro Ecclesia Dei toleratis laboribus, in bona senectute migravit ad Dominum; ejusque corpus Forojulii in celebri Collegiata Ecclesia summa veneratione colitur.

In tertio Nocturno.

De Communi primo loco; cum 9. lect. & com. S. Apolloniæ Virg. Mar.

DIE XI. FEBRUARII.

In Festo S. Anastasiæ Mart.

Duplex.

Omnia de Com. Mar. tantum præter Orat.

ORATIO.

DA quæsumu omnipotens Deus, ut qui B. Anastasiæ Martyris tuæ solemnia colimus, ejus apud te patrocinia sentiamus. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

Sermo S. Joannis Chrysostomi.

Ego maxime *de Comm. secundo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Thesauro *de Communi.*

Missa Dilexisti.

ORATIO.

Da quæsumus Omnipotens Deus, &c. *ut supra.*

Secreta.

Accipe, quæsumus Domine, munera dignanter oblata, & B. Anastasiæ Martyris tuæ suffragantibus meritis ad nostræ salutis auxilium provenire concede. Per Dominum, &c.

Postcommunio.

Satiasti Domine familiam tuam muneribus sacris: ejus quæsumus interventione nos refove, cujus solemnia celebramus. Per Dominum, &c.

DIE

DIE XVI. FEBRUARII.

In Festo S. Julianæ Virg. & Mart.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. Mart.

O R A T I O.

Deus, qui inter cætera *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente:

Et si occurrat in Quadragesima.

Lectiones de Communi: Confitebor.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

DIE XVII. FEBRUARII.

In Festo Ss. Chrysantiani, & Soc. Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm.

O R A T I O.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Et si occurrat in Quadragesima.

Lectiones de Comm. Fratres: Debitores.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

DIE XXI. FEBRUARII.

In Festo S. Juliani de Bono Albergo Cōf.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif.

In Hymno: Iste Confessor *mutatur tertius versus.*

O RA-

O R A T I O.

Adesto *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Et si occurrat in Quadragesima.

Lectiones de Communi: Beatus vir.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

Festa Martii.

DIE III. MARTII.

In Festo Ss. Agapis, & Soc. Vv. & Mm.

Duplex.

Omnia de Communi.

Antiphona. Prudentes.

O R A T I O.

Da nobis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

Et si occurrat in Quadragesima.

Lectiones de Communi: De Virginibus.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

DIE XVI. MARTII.

In Festo Ss. Hilarii, & Tatiani Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimorum Mm.

O R A T I O.

BEatorum Martyrum Hilarii, & Tatiani nos quæsumus Domine festa tuean-

tueantur: & eo um commendet oratio veneranda. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno

Lectiones de Comm: Fratres: Debitores.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

DIE XXIV. MARTII.

In Festo S. Gabrielis Archangeli.

Duplex.

Ad Vesperas Antiphona: Ingresso Zacharia *cum reliquis de Laudibus. Psalm.* Dixit Dominus *cum reliquis de Dom; & loco ultimo Psalm.* Laudate Dominum omnes gentes.

Capitulum. Dan. 9. f.

ECce vir Gabriel, quem videram in visione a principio citò volans tetigit me in tempore Sacrificii vespertini. Et docuit me, & loquutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres.

Hymnus.

CHriste Sanctorum decus Angelorũ,
Gentis humanę Sator, & Redẽptor
Cælitum n bis tribuas beatas
Scandere sedes
Angelus pacis Michael in ædes
Cœlitus nostras veniat, serenæ
Auctor ut pacis lacrymosa in Orcum
Bella releget.

An-

Angelus fortis Gabriel, ut hostes
Pellat antiquos, & amica cælo
Quæ triumphator statuit per orbem
Templa revisat.

Angelus nostræ medicus salutis
Adsit è Cælo Raphael, ut omnes
Sanet ægrotos, dubiosque vitæ
Dirigat actus.

Virgo Dux pacis, Genitrixque lucis
Et sacer nobis Chorus Angelorum
Semper assistat, simul & micantis
Regia Cœli.

Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac Nati, pariterque Sancti
Spiritus, cujus resonat per omnem
Gloria mundum. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.
℟. Habens thuribulum aureum in manu sua.

Ad Magnificat, Antiphona.

Ingressus Gabriel Angelus ad Mariam Virginem, dixit: Ave gratia plena, Dominus tecum: Benedicta tu in mulieribus.

ORATIO.

DEus, qui inter cæteros Angelos ad annunciandum Incarnationis tuæ misterium Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius; ut, qui Festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cælis. Qui vivis, &c.

Dein-

Deinde fit commemoratio occur.

Ad Matut. Invitator.

Regem Archangelorum Dominum * Venite Adoremus.

Psalmus. Venite exultemus Domino.

Hymnus. Chriſte Sanctorum. *ut ſupra.*

In primo Nocturno, Antiphona.

Dixit Angelus Gabriel ad Danielem: Intellige fili hominis, quoniam in tempore finis implebitur viſio.

Pſalmus. Domine Dominus noſter *cum reliquis Pſalmis Nocturnorum per ordinem, ut in feſto Dedicationis S. Michaelis Archangeli 29 Septemb.*

Antiph. Ecce vir Gabriel, quem videram in viſione, citò volans tetigit me in tempore Sacrificii veſpertini, & docuit me. *Pſal.* In Domino confido.

Antiph. Cumque Gabriel loqueretur ad me, collapſus ſum pronus in terram, & tetigit me, & ſtatuit me in gradu meo. *Pſal.* Domine quis habitabit.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.
℟. Habens thuribulum aureum in manu ſua.

Ex Daniele Propheta.

Lectio I. Cap. 9. c.

EGo Daniel, cum adhuc loquerer, & orarem, & confiterer peccata mea, & peccata populi mei Iſrael, & proſternerem preces meas in conſpectu Dei mei, pro monte ſancto Dei mei:

adhuc

adhuc me loquente in oratione, ecce vir Gabriel quem videram in visione a principio, citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me, & locutus est mihi, dixitque: Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres. Ab exordio precum tuarum egressus est sermo; ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es: tu ergo animadverte sermonem, & intellige visionem.

℟. Cum oraret Daniel, & confiteretur peccata sua, & peccata populi sui, * Ecce Archangelus Gabriel citò volans tetigit eum in tempore sacrificii vespertini. ℣. Cumque prosterneret preces suas in conspectu Dei sui. Ecce

Lectio II.

SEptuaginta hebdomades abbreviatæ sunt super populum tuum, & super urbem sanctam suam, ut consummetur prævaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur justitia sempiterna, & impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum. Scito ergo, & animadverte: Ab exitu sermonis, ut iterum ædificetur Jerusalem usque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt: & rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.

℟. Locutus est Gabriel Danieli, & dixit: Ab exordio precum tuarum egressus est sermo: * Ego autem veni, ut indicarem tibi, quia vir desideriorum es. ℣. Tu autem animadverte sermonem, & intellige visionem. Ego autem.

Lectio III.

ET post hebdomades sexaginta duas occidetur Christus & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo, & finis ejus vastitas, & post finem belli statuta desolatio. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una: & in dimidio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium: & erit in templo abominatio desolationis: & usque ad consumationem, & finem perseverabit desolatio.

℟. Ecce vir Gabriel, quem videram, citò volans tetigit me in tempore sacrificii vespertini, & docuit me, & dixit: * Daniel, nunc egressus sum, ut docerem te, & intelligeres. ℣. Gabriel fac me intelligere istam visionem: & venit, & stetit juxta ubi ego stabam, & ait ad me. Daniel. Gloria Patri. Daniel.

In secundo Nocturno, Antiph.

Gabriel Angelus apparuit Zachariæ, dicens: Uxor tua Elisabeth pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem.

Psal-

Psalmus. Cæli enarrant.

Antiph. Et dixit Zacharias ad Angelum: Unde hoc sciam? ego enim sum senex, & uxor mea processit in diebus suis. *Psalmus.* Domini est terra.

Antiph. Respondens autem Angelus, dixit ei: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

Psal. Benedicam Dominum.

℣. Ascendit fumus aromatum in conspectu Domini.

℟. De manu Angeli.

Sermo S. Bernardi Abbatis.

Ex Homilia de Laudibus Virginis, super Missus est.

Lectio IV.

MIssus est Angelus Gabriel a Deo. Non arbitror, hunc Angelum de minoribus esse, qui qualibet ex causa crebra soleant ad terras fungi legatione. Quod ex ejus nomine palam intelligi datur, quod interpretatum, Fortitudo Dei dicitur: & quia non ab aliquo alio forte excellentiore se (ut assolet) spiritu, sed ab ipso Deo mitti perhibetur. Propter hoc ergo positum est, a Deo, vel ideo dictum est a Deo; ne cui, vel beatorum spirituum, suum Deus antequam Virgini revelasse putetur consilium, excepto dumtaxat Archangelo Gabriele. Qui utique tantæ inter

inter ſuos inveniri potuerit excellentiæ, ut tali & nomine dignus haberetur, & nuncio.

℞. Factum eſt cum ſacerdotio fungeretur Zacharias in ordine vicis ſuæ ante Deum, * Apparuit ei Angelus Gabriel, ſtans a dextris altaris incenſi. ℣. Cumque ingreſſus in templum Domini incenſum poneret ſecundum conſuetudinem ſacerdotii ſui. Apparuit.

Lectio V.

NEc diſcordat nomen a nuncio. Dei quippe virtutem Chriſtum, quem melius nunciare decebat, quam hunc, quem ſimile nomen honorat? Nam quid eſt aliud fortitudo, quam virtus? Non autem dedecens, aut incongruum videatur, Dominum, & nuncium communi cenſeri vocabulo: cum ſimilis in utroque appellationis, non ſit tamen utriusque ſimilis cauſa. Aliter quippe Chriſtus fortitudo, vel virtus Dei dicitur, aliter Angelus. Angelus enim tantum nuncupative; Chriſtus autem etiam ſubſtantive.

℞. Deſcendit Gabriel Angelus ad Zachariam, dicens: * Ne timeas quoniam exaudita eſt deprecatio tua, & uxor tua Eliſabeth pariet tibi filium; & vocabis nomen ejus Joannem. ℣. Et Zacharias turbatus eſt videns, & timor irruit ſuper eum; ait autem ad illum Angelus. Ne timeas

Le-

Lectio VI.

CHristus Dei virtus & dicitur, & est: qui forti armato, qui suum atrium in pace custodire solebat, fortior superveniens, ipsum suo brachio debellavit, & sic ei vasa captivitatis potenter eripuit, Angelus verò fortitudo Dei appellatus est, vel quod hujuscemodi meruit prærogativam officii, quo ejusdem nunciaret adventum virtutis, vel quia Virginem natura pavidam, simplicem, verecundam, ne miraculi novitate expavesceret, confortare deberet: quod & fecit; Ne timeas, inquiens, Maria: invenisti enim gratiam apud Deum. Convenienter itaque Gabriel ad hoc opus eligitur: imo quia tale illi negotium injungitur, rectè tali nomine designatur.

℟. Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum: & missus sum loqui ad te, & hæc evangelizare. * Ecce eris tacens, & non poteris loqui usque in diem, quo hæc fiant. ℣. Pro eo quod non credidisti verbis meis, quæ implebuntur tempore suo. Ecce eris. Gloria Patri. Ecce eris.

In tertio Nocturno, Antiphona

Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph.

Psalmus. Cantate Domino.

An-

Antiph. Gabriel Angelus Mariæ dixit: Ecce Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua.

Psalmus. Dominus regnavit exultet.

Antiph. Suscipe verbum Virgo Maria, quod tibi a Domino per Angelum Gabrielem transmissum est.

Ps. Benedic anima mea Domino.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum sanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Lectio S. Evangelii secundum Lucam.

Cap. 1. b.

Lectio VII

✠ In illo tempore: Missus est Angelus Gabriel a Deo, in Civitatem Galileæ, cui nomen Nazareth ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph, de domo David, & nomen Virginis Maria. Et reliqua.

Homilia S. Juliani Archiepiscopi Toletani.

Lib. 2. contra Judæos, post initium.

SAcramentum illud septuaginta hebdomadarum de Christi nativitate Daniel per Angelum didicit: similiter & Zacharias, apparente sibi Angelo, Joannem filium de se generandum audivit, & Maria, Angelo sibi prædicenti Christum ex se nascendum, & credidit, & assensit. Hęc tria per Angelum dicta,

cta, & completa videmus. Jam ergò solicitè intuendum est, utrum Angelus iste, qui Zachariæ, & Mariæ apparuit, ipsi quoque Danieli illa prædixerit.

℟. Missus est Gabriel Angelus ad Mariam Virginem desponsatam Joseph, nuntians ei verbum: & expavescit Virgo de lumine: * Ne timeas Maria, invenisti enim gratiam apud Dominum: ecce concipies, & paries, & vocabitur Altissimi Filius. ℣. Quæ cum audisset, turbata est in sermone ejus, & cogitabat qualis esset ista salutatio: & ait Angelus ei. Ne timeas Maria.

Benedictio. Cujus festum colimus.

Lectio VIII.

EQuidem ipse Daniel in prophetiæ suæ volumine, quando illa Sacramenta Hebdomadarum de Christi nativitate per Angelum futura cognovit, sic ipsius Angeli nomen evidenter expressit. Dixit enim. Ecce vir Gabriel, quem videram in principio, citò volans tetigit me, & dixit: Daniel animadverte sermonem; & reliqua, quæ ibi commemorantur. Item his temporibus secundum Evangelium, Angeli ipsius nomen mirificum sic invenitur expressum. Dixit enim idem Angelus Zachariæ: Ego sum Gabriel, qui asto ante Deum, & missus sum loqui ad te, & hæc tibi evangelizare.

℟. Gaude Maria Virgo, cunctas hæreses sola interemisti: * Quæ Gabrielis Archangeli dictis credidisti dum Virgo Deum, & hominē genuisti, & post partum Virgo inviolata permansisti. ℣. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Quæ. Gloria Patri. Quæ.

Nona Lectio de Feria occurrente, nisi transferatur post Octavam Paschæ, quia tunc dicitur sequens.

Lectio IX.

QUod etiam de beatæ Mariæ Virginis partu sic in eodem Evangelio legitur: Missus est, inquit, Angelus Gabriel a Deo in civitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad Virginem desponsatam viro, cui nomen erat Joseph de domo David, & nomen Virginis Maria. Jam ergo manifestum est, quod, unus idemque Angelus Gabriel fuerit, qui & præfixa illa tempora Danieli de Christi nativitate aperuit, & partum Virginis præsentem esse monstravit. Ad tempus itaque præfinitum occurrit; & olim a se dicta, operis efficientia completa esse convincit: & illic fidelis in prophetia hebdomadarum, & hic fidelis per mysterium revelatum. Te Deum laudamus.

AD LAUDES.

& per Horas, Antiphona.

INgreſſo Zacharia templum Domini, apparuit ei Gabriel Angelus ſtans a dextris altaris incenſi.

Pſalmus. Dominus regnavit *cum reliquis de Dom.*

Antiph. Ait autem Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita eſt deprecatio tua.

Antiph. Ego ſum Gabriel Angelus, qui aſto ante Deum, & miſſus ſum loqui ad te.

Antiph. Gabriel Angelus locutus eſt Mariæ dicens: Ecce concipies in utero, & paries filium: & vocabis nomen ejus Jeſum.

Antiph. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet iſtud, quoniam virum non cognoſco? Et reſpondens Gabriel Angelus, dixit ei: Spiritus Sanctus ſuperveniet in te, & virtus Altiſſimi obumbrabit tibi.

Capitulum. Ecce vir Gabriel. *ut ſupr.*

HYMNUS.

PLacare Chriſte ſervulis,
Quibus Patris clementiam
Tuæ ad Tribunal gratiæ
Patrona Virgo poſtulat.
Et vos beata per novem
Diſtincta gyros, Agmina

Anti-

Antiqua cum præsentibus
Futura damna pellite.
Auferte gentem perfidam
Credentium de finibus;
Ut unus omnes unicum
Ovile nos pastor regat.
Deo Patri sit gloria,
Natoque Patris unico
Sancto simul Paraclito
In sempiterna sæcula. Amen.

℣. Stetit Angelus juxta aram templi.
℟. Habēs thuribulū aureum in manu sua.

Ad Benedictus. Antiphona.

Gabriel Angelus descendit ad Zachariam, & ait illi: Uxor tua pariet tibi filium, & vocabis nomen ejus Joannem, & multi in nativitate ejus gaudebunt; Ipse enim præibit ante faciem Domini parare vias ejus.

ORATIO.

DEus, qui inter cæteros Angelos ad annuntiandum Incarnationis tuæ mysterium Gabrielem Archangelum elegisti: concede propitius; ut qui Festum ejus celebramus in terris, ipsius patrocinium sentiamus in cœlis. Qui vivis, &c.

In Quadragesima fit commem. Feriæ.
Ad Tertiam. Antiph. Ait autem.

Capitulum. Ecce vir Gabriel.

℟. Stetit Angelus,* Juxta aram Templi. Stetit.

℣. Habens thuribulum aureum in manu ſua. Juxta. Gloria Patri. Stetit. ℣. Aſcendit fumus aromatum in conſpectu Domini. ℟. De manu Angeli.

Ad Sextam. Antiph. Ego ſum Gabriel.

Capitulum. Dan. 9. f.

EGo autem veni, ut indicarem tibi, quia vir deſideriorum es: ſeptuaginta hebdomades abbreviatæ ſunt, ut finem accipiat peccatum, & impleatur viſio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.

℟. *br.* Aſcendit fumus aromatum, * In conſpectu Domini. Aſcendit.

℣. De manu Angeli. In conſpectu Domini. Gloria. Aſcendit.

℣. In conſpectu Angelorum pſallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo.

Ad Nonam. Antiph. Dixit autem Maria.

Capitulum. Dan. 9. g.

SCitò ergo, & animadverte: Ab exitu ſermonis, ut iterum ædificetur Jeruſalem, uſque ad Chriſtum ducem hebdomades ſeptem & hebdomadas ſexaginta duæ erunt.

℟. *br.* In conſpectu Angelorum, * Pſallam tibi Deus meus. In conſpectu.

℣. Adorabo ad templum ſanctum tuum, & confitebor nomini tuo. Pſallam. Gloria Patri. In conſpectu.

℣. Ado-

℣. Adorate Deum.

℟. Omnes Angeli ejus.

Vesp. de Annunciatione B. M. V. dupl. 1 Class. sine com. S. Gabrielis, sed tantum de Feria occurrente, sed si Festum S. Gabrielis transferatur, aut non concurrat cū Annunciatione; in 2dis Vesp; omn. dicunt. ut in prim; & loco ultimi, dicit. Psal. Confitebor tibi Domine in toto corde meo, quoniam audisti verba oris mei.

Capitulum & Hymnus ut supra in primis Vesperis.

℣. In conspectu Angelorum psallam tibi Deus meus.

℟. Adorabo ad Templum sanctum tuum & confitebor nomini tuo.

Ad Magnificat. Antiphona.

Archangelus Gabriel ait ad Mariam: Non erit impossibile apud Deum omne verbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum. Et discessit ab ea Angelus.

ORATIO.

Deus, qui inter cæteros Angelos &c. *ut supra.*

DIE XXV. MARTII.

In Festo ANNUNCIATIONIS B.M.V. S. Metropolitanæ Archiepiscopalis Ecclesiæ Utinensis Titularis.

Duplex 1. Classis.

 Omnia

Omnia ut in Breviario.

Quando occurrat hoc Festum celebrari Temp. Paschali, Officium quoque dicitur ritu Paschali, & celebratur cum Octava, si occurrat infr. Octav. Paschæ, aut plenarie reponatur in Fer. 2. post Dom. in Albis in die 3. respective, vel 4. Aprilis.

Festa Aprilis.

DIE I. APRILIS.

Octava ANNUNCIATIONIS B.M.V.

Duplex.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno. ut in die Festi.

Huic tamen Octavæ non est locus, nisi cum Festum Annunciationis occurrat infra Octav. Paschæ, aut plenarie ut dictum est supra reponatur in Fer. 2. post Dom. in Albis, & tunc dies Octava ejusdem Festi erit in die 10 respective vel 11. hujus Mensis Aprilis.

DIE III. APRILIS.

In Festo S. Abundii Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif.

ORATIO.

Exaudi *de Communi.*

In

In primo Nocturno.

Lectiones de Comm. Fidelis Sermo.

Et si occurrat extra Quadragesimam.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

DIE XII. APRILIS.

In Festo S. Zenonis Episcopi Mart. Ecclesiæ Veronensis Patroni.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præterea, quæ hic habentur.

ORATIO.

Deus, qui nos *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Communi: A mileto.

Et si occurrat extra Quadragesimam.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

ZENO Veronæ Episcopus, & doctor, plurimos doctrina, sanctitate, & miraculis ab idolorum cultu ad veram Christi religionem convertit. Gallieni Imperatoris unicam filiam, a Dæmone diro vexatam, ab eodem accersitus Imperatore, liberavit. Coronam auream, quam capite gestabat Gallienus, & ipsi dono dederat, comminutam in pauperes distribuit. Tu autem Domine.

℟. Lux perpetua lucebit sanctis tuis Domine: * Et æternitas temporum. Alleluja, Allel. ℣. Læ-

℣. Lætitia sempiterna erit super capita eorum: gaudium, & exultationem obtinebunt. Et æternitas.

Extra Tempus Paschale.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam: & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit illi.

℣. Jube domine benedicere.

Benedictio.

Christus perpetuæ det nobis gaudia vitæ.

℟. Amen.

LECTIO V.

CUm autem ii, qui a Gallieno missi fuerant, ut Zenonem accerserent, & ab eo piscante tribus lectissimis ex his, quos cœperat, piscibus donati fuissent, numero non contentis, quartum furtim sublatum addiderunt, qui simul cum tribus a Sancto viro acceptis in ferventem aquam conjectus, tandiu vivus in ea, cæteris suo tempore coctis, ludibundus natavit, quo: d. ili miraculo attoniti ad virum Sanctum redeuntes, & se furti reos confitentes, ab eo veniam impetrarunt. Tu autem Domine.

℟. In servis suis. Alleluja: * Consolabitur Deus. Alleluja.

℣. Ju-

℣. Judicabit Dominus populum suum, & in servis suis. Consolabitur.

Extra Tempus Pasch.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et voluntate.

℣. Jube Domne benedicere.

Benedictio.

Ignem sui amoris accendat Deus in cordibus nostris.

℟. Amen.

LECTIO VI.

ZENO Veronam reversus, cum facultatem libere Christum prædicandi a Gallieno obtinuisset, fidem prædicare, & idola insectari cœpit idololatris iniquissimo animo id ferentibus. Verum ut planum faceret, divina virtute illa se agere, vir sanctus, Doctrinam suã miraculo comprobavit. Nam hominis cadaver, quod tunc secundo fluvio volutabatur, ad se vocans, vitam ei cum omnium admiratione restituit. Quo miraculo universa pene Civitas, simulacris deorum rejectis, Christi fidem suscepit, & patrem patriæ Beatum Zenonem appellavit. Postremo cum inter tot procellas persecutionis Veronensem Ecclesiam

mira constantia gubernasset, intrepidus Christi martyr, & fidei assertor, Gallieni tempore migravit in Cælum. Tu autem Domine.

℟. Filiæ Jerusalem, venite, & videte Martyres cum coronis, quibus coronavit eos Dominus: In die solemnitatis, & lætitiæ. Allel.

℣. Quoniam confortavit seras portarum tuarum, benedixit filios tuos in te. In die. Gloria. In die.

Extra tempus Paschale.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis posuit super caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ, & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potavit illum. Et coronam.

Gloria Patri, &c. Et

In tertio Nocturno.

Lectiones de Communi primo loco.

DIE XVII. APRILIS.

In Festo S. Liberalis Conf. Ecclesiæ Tarvisinæ Patroni.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter ea, quæ hic habentur.

ORATIO.

DEus, qui nos Beati Liberalis Confessoris tuì glorioso patrocinio circumdas, & protegis: concede propitius, ut

ut cujus intercessione munimur in terris, ejus quoque consortio perfruamur in Cælis. Per Dominum &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

LIBERALIS Altini in Venetia ex equestri Familia natus ab Heliodoro notæ probitatis Episcopo ad Fidem Christi perductus, tantum, eo Magistro, profecit, ut armis, profanisque disciplinis vale dicto, se totum ipsi excolendum, atque ad omnem pietatem informandum tradiderit. Cumque illa tempora Arianæ Hæresis infestatione, & erroribus ubique redundarent, sensimque pestiferum illud dogma in Altinatium fines se se diffunderet, Liberalis gliscenti morbo strenue se opponens, nihil subtrahebat utilium, quominus concivibus suis annunciaret, eosque Catholicam Fidem verbo, & exemplo publice, & per domos edoceret.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & a seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam, alleluja.

℣. Justum deduxit Dominus per vias rectas, & ostendit illi regnum Dei. Et dedit.

LECTIO V.

QUo in ſtudio occupatus ingens adeo Arianorum odium ſuſcepit, ut tenebricoſo incluſus carcere incredibiles ab ipſis calamitates fuerit perpeſſus. Verum coſtans Chriſti Athleta, cum non modo alacri animo, atque infracta conſtantia univerſa tolleraret, quin etiam multa ederet ſigna virtutū, inde extractus ad Inſulam, quæ olim Caſtraceum dicebatur, aliquando devenit, ubi cum nihil de charitatis, abſtinentiæ, cæterarumque virtutum operibus remitteret; in febrim incidit, qua diutius afflictatus, poſt plurima pietatis, & patientiæ exhibita documenta, ſanctiſſime obdormivit in Domino.

℟. Amavit eum Dominus, & ornavit eum, ſtolam gloriæ induit eum: * Et ad portas Paradiſi coronavit eum, alleluja.

℣. Induit eum Dominus loricam fidei, & ornavit eum. Et ad

LECTIO VI.

DEfuncti Corpus ex Inſula Altinum delatum, ac tumulo ex Chriſtiano more compoſitum, cum diu ſubſtitiſſet, ingruente bellorum vi, Tarviſium poſtea deductum in Cathedrali Eccleſia ſub majori Sacello in Cripta, in qua uſque adhuc honorifice aſſervatur, conditum fuit: ubi, cum ad ejus gloriam

riam celebrandam superna crebro ederentur miracula, præsensque Liberalis auxilium Tarvisini in dies experirentur, illum in Patronum adsciscentes, præcipua religione, una cum Metropolitana Aquilejensi Ecclesia, venerari cœperunt.

℞. Iste homo perfecit omnia, quæ locutus est ei Deus, & dixit ad eum: Ingredere in requiem meam: * Quia te vidi justum coram me ex omnibus gentibus, alleluja.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Quia. Gloria. Quia.

In tertio Nocturno.

De Communi primo loco; cum 9. lect. & com. S. Aniceti Papæ Mar.

DIE XXIV. APRILIS.

In Inventione Corporum SS. Cantii, & Socior. Mm.

Duplex.

Omn. de Com. Plurim. Mm. Temp. Pasch.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, qui hodierna die membra Sanctorum Martyrum tuorum Cantii, Cantiani, Cantianillæ, Chrysogoni, Anastasiæ, & Proti nobis famulis tuis revelare dignatus es, concede propitius, ut qui eorum Corporum Inventionẽ hodie vene-

nerando colimus, ipsorum beatitudini; te concedente, adjungi mereamur. Per Dominum, &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

Lectiones de Comm. secundo loco.

Missa Sancti tui.

ORATIO.

Omnipotens sempiterne Deus, &c. *ut sup.*

Secreta.

His, quæsumus Domine, muneribus intende placatus; & tribue supplicatione B. Martyrum tuorum Cantii, Cantiani, Cantianillæ, Chrysogoni, Anastasiæ, & Proti nos a peccatis omnibus absolvi, & cælesti gratia ditari. Per Dominum, &c.

Postcommunio.

Refecti vitalibus alimoniis, quæsumus Domine Deus noster, ut, intercedentibus Sanctis tuis Cantio, Cantiano, Cantianilla, Chrysogono, Anastasia, & Proto, quod ore sumpsimus, pura mente capiamus. Per Dominum, &c.

Extra Tempus Paschale.

Missa Sapientiã Sanctorum *ex Communi plurimor. Mm.*

Oratio vero, Secreta, & Postcom. ut supra.

DOM. II. POST PASCHA:
Dedicatio S. Metropolitanæ Archiepiscopalis Ecclesiæ Utinensis.

Duplex 1. Class.

Celebratur cum Octava in sola Civitate Utinensi.

Omnia de Communi Dedicationis Ecclesiæ cum 9. lect. & com. Dom. occurrent.

DOM. III. POST PASCHA.
In Octava Dedicationis ipsius S. Metropolitanæ Ecclesiæ.

Fit sola commemoratio Dedicationis, ante tamen com. Dom; quia Officium de ipsa Octava impeditur a Festo Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V.

Festa Maii.

DIE XIII. MAII.
In Festo S. Sigismundi Reg. Burg. Mar.

Duplex.

Omnia de Commmuni unius Mart. Temp. Pasch.

O R A T I O.

Præsta quæsumus Omnipotens Deus; ut qui *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

DIE

DIE XIV. MAII.

In Festo Ss. Victoris, & Coronæ Mm. Ecclesiæ Feltrens. Patronor.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm.

ORATIO.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

DIE XVII. MAII.

In Festo S. Maximæ Virg.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. tantum.

ORATIO.

Exaudi nos Deus *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone, Nunc nobis.

In tertio Evang. Decem Virginibus.

DIE XXIX. MAII.

In Festo S. Maximi Episcopi Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart.

ORATIO.

Deus, qui nos *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In

In secundo Nocturno.

De sermone Triumphalis.

De Communi primo loco.

In tertio Nocturno.

Evang. Si quis vult.

De Communi secundo loco.

DIE XXXI. MAII.

In Festo Ss. Cancii, Canciani, Cantianillæ Fratrum, ac Proti Mm.

Duplex.

Omnia de Communi Mart. pro varietate tempor; præter Orationem, & Lectiones secundi Nocturni.

ORATIO.

PRæsta quæsumus, omnipotens Deus, ut Populus tuus ad plenæ devotionis affectum Beatorum Martyrum Canciani, & Sociorum ejus Natalitiis præparetur: &, eorum patrocinio promerente, beatæ capiat securitatis augmentum. Per Dominum nostrum &c.

Deinde fit Commemoratio S. Petronillæ Virginis.

Antiph. Veni Sponsa Christi.

℣. Specie tua.

Oratio. Exaudi nos Deus.

In primo Nocturno.

Intra, & extra temp. Pasch.

Lectiones Fratres: Debitores.

De Communi primo loco.

In secundo Nocturno.

LE-

LECTIO IV.

CANTIANUS præclara Aniciorum progenie, Christiana fide longè clarior evasit. A pueritia sub Prothi viri sanctissimi disciplina instructus, neglecto Avitarum dignitatum fastu, elegit magis affligi cum populò Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem. Quapropter virtute non minus, quàm ætate proficiens; Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus in Christianos nefariè sævientibus, fidem, quam corde, & ore profitebatur, ut operibus etiam comprobaret, opulentissimo vendito patrimonio, pecuniam omnem in Christianos inopia laborantes distribuit, plurimosque servos, quos domi alebat, sacro ablutos Baptismate, libertate donavit. Ut verò cæteris etiam fidelibus in variis Italiæ Provinciis sub immanitate persecutionis gementibus esset subsidio, assumptis peregrinationis sociis Cancio fratre, Cancianilla, ac Protho paris propositi, & fidei consortibus, Regiones varias perlustravit.

℟. Sancti tui Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida: & in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt. Terra apparuit &c.

Tem-

Tempore Paschali. ℞. Lux perpetua lucebit.

LECTIO V.

CUm autem Aquilejam adventasset, & quanta pridem passus fuerit Christi Athleta Chrysogonus accepisset, ardentiori charitatis flamma succensus, cœpit clam hortari omnes, ut in proposito fidei permanerent; ac noctu visitans eos, qui vincti in custodiis tenebantur, ad asperrima quæque pro Christo perferenda ignitis sermonibus animabat. Et cum mox adversus omnia pericula interritus palam cœpisset annuntiare Jesu Christi fidem, magna facta est virorum, ac mulierum accessio ad illam profitendam; dante Deo, ut signis, atque prodigiis Verbum Domini confirmaretur: nam Cantianus leprosos, & a Dæmonibus vexatos curabat, cæcis visum, ægris sanitatem impertiebatur.

℞. Verbera Carnificum non timuerunt Sancti Dei, morientes pro Christi nomine: * Ut hæredes fierent in domo Domini.

℣. Tradiderunt corpora sua propter Deum ad supplicia. Ut hæredes &c.

Tempore Paschali. ℞. In servis suis.

LE-

LECTIO VI.

QUibus auditis Dulcidius Præses, ejusque Collega Sisinius, Cancianum, ejusque socios Christo renunciare frustra jubent; tormenta tamen in ipsos, propter eximiam generis nobilitatem, nonnisi Imperatorum mandato exhibere sunt ausi. Missis igitur, qui referrent quod evenerat; ad hujusmodi nuncium excandescentes confestim rescribunt, gloriosos Christi Confessores, ni Diis sacrificent, capite plectendos. Quare Sisinius, collecta spiculatorum manu, ipsos super Rheda abeuntes insequitur, comprehenditque eodem in loco ad aquas Gradatas, ubi Chrysogonus Martyrii cursum feliciter consumaverat. Tunc generosi Athletæ, elevatis ad Cælum manibus, psallentes, gratias agentes Deo, seseque invicem confortantes, flexis genibus deprecabantur: Domine Jesu Christe Deus Omnipotens, dirige Sanctum Angelum tuum ad auxilium nostrum, ut confundantur omnes, qui adorant sculptilia, ac deinde impavidi pridie Kalendas Junii sacras cervices ferro præcidendas constantissimè obtulerunt: Quorum corpora Zenus Presbyter aromatibus condita propè ejusdem Sancti Chrysogoni Sepulcrum tumulavit.

℟. Tan-

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos: & in tempore erit respectus illorum: * Quoniam donum, & pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum intelligent veritatem: & fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam. Gloria Patri. Quoniam.

Tempore Paschali. ℟. Filiæ Jerusalem.

In tertio Nocturno.

Temp. Pasch. Evāg. Ego sum vitis ~~vera~~. vos palmites

Extra Tempus Pasch.

Evang Descendens *de Com. secundo loco.*

℟. 8. Hæc est vera fraternitas.

Com. S. Petronillæ.

Festa Junii.

Feria VI. post Octav.

SS. CORPORIS CHRISTI.

Officium

SS. CORDIS D. N. J. C.

Duplex Majus.

Ad Vesp. Antiph. Discite a me, *cum reliquis ut infra ad Laudes.*

Psalm. Dixit Dominus *cum reliquis ut in Vesp. Festi Ss. Corporis Christi.*

Capitulum Isaiæ 12.

ECce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia for-

fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

HYMNUS.

AUctor beate sæculi,
Christe Redemptor omnium,
Lumen Patris de lumine,
Deusque verus de Deo.
Amor coegit Te tuus
Mortale corpus sumere,
Ut novus Adam redderes,
Quod vetus Ille abstulerat.
Ille Amor almus Artifex
Terræ, marisque, & syderum,
Errata Patrum miserans,
Et nostra rumpens vincula.
Non corde discedat tuo
Vis illa Amoris inclyti:
Hoc fonte gentes hauriant
Remissionis gratiam.
Percussum ad hoc est lancea,
Passumque ad hoc est vulnera;
Ut nos lavaret sordibus,
Unda fluente, & sanguine.
Decus Parenti, & Filio,
Sanctoque sit Spiritui,
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum.
Amen.

℣. Ignem veni mittere in terram.
℟. Et quid volo, nisi ut accendatur?

Ad

Ad Magnificat. Antiphona.

Improperium expectavit Cor meum, & miseriam: & sustinui qui simul contristaretur & non fuit, & qui consolaretur, & non inveni.

ORATIO.

COncede quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii Tui Corde gloriantes, præcipua in nos Charitatis ejus beneficia recolimus: eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per eumdem Dominum nostrum.

AD MATUTINUM.

Invitatorium.

Christum pro nobis passum: Venite adoremus.

Psal. Venite exultemus Domino.

HYMNUS.

EN, ut superba criminum,
Et sæva nostrorum cohors
Cor sauciavit innocens
Merentis haud tale Dei!
Vibrantis hastam Militis
Peccata nostra dirigunt:
Ferrumque diræ cuspidis
Mortale crimen acuit.
Ex Corde scisso Ecclesia
Christo jugata nascitur;
Hoc ostium Arcæ in latere est.
Genti ad salutem positum.
Ex hoc perennis Gratia,
Ceu septiformis fluvius;

Stolas ut illic sordidas
Lavemus Agni in sanguine.
Turpe est redire ad crimina,
Quæ Cor beatum lacerent:
Sed æmulemur cordibus
Flammas Amoris indices.
Hoc, Christe nobis, hoc Pater,
Hoc Sancte dona Spiritus;
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est seculum.
Amen.

In primo Nocturno.

Antiph. Quid est homo quia magnificas eum, aut quid apponis erga eum Cor tuum.

Psal. Domine Dominus noster: *cum reliquis ut in Officio parvo B. M. V.*

Antiph. Meditatio Cordis mei in conspectu Tuo semper.

Antiph. Elevamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ.

℣. Domine dabis pacem nobis.

℞. Omnia enim opera nostra operatus es nobis. Pater noster.

Absolutio. Exaudi Domine.

℣. Jube Domne benedicere.

Benedictio. Benedictione perpetua.

De Isaia Propheta. *Cap.* 12.

Lectio. I.

CONfitebor Tibi Domine, quoniam iratus es mihi: Conversus est furor tuus, & consolatus es me. Ecce Deus

Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo; quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris. Et dicetis in die illa: Confitemini Domino, & invocate nomen ejus, mementote quoniam excelsum est Nomen ejus. Cantate Domino, quoniam mirifice fecit: annuntiate hoc in universa terra. Exulta, & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

℟. Ego sum panis vitæ: Patres vestri manducaverunt manna in deserto, & mortui sunt: * Hic est panis de Cælo descendens, ut si quis ex ipso manducet non moriatur.

℣. Ego sum panis vivus qui de Cælo descendi, si quis manducaverit ex hoc pane vivet in æternum. Hic est.

Lectio II.

Cap. 26.

IN die illa cantabitur Canticum istud in Terra Juda. Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea murus, & antemurale. Aperite portas, & ingrediatur Gens justa, custodiens veritatem. Vetus error abiit, servabis pacem, pacem quia in Te speravimus. Sperastis in Domino in sæculis æternis, in Domino Deo forti in perpetuum. Quia incurvabit habitantes in excelso,

civitatem ſublimem humiliabit, humiliabit eam uſque ad Terram.

℞. Ecce vidimus Eum non habentem ſpeciem, neque decorem: aſpectus ejus in eo non eſt: hic peccata noſtra portavit, & pro nobis dolet: ipſe autem vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, * Cujus livore ſanati ſumus.

℣. Vere languores noſtros Ipſe tulit, & dolores noſtros Ipſe portavit. Cujus livore.

Lectio III.

SEmita juſti recta eſt, rectus callis juſti ad ambulandum: & in ſemita judiciorum Tuorum, Domine ſuſtinuimus Te: Nomen tuum, & memoriale Tuum in deſiderio animæ. Anima mea deſideravit Te in nocte, ſed & ſpiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad Te. Cum feceris judicia Tua in terra, juſtitiam diſcent habitatores Orbis.

℞. Benedictus Dominus Deus Iſrael qui facit mirabilia magna ſolus, * Et benedictum nomen Majeſtatis Ejus in æternum.

℣. Replebitur Majeſtate Ejus omnis terra, fiat, fiat. Et benedictum.

Gloria Patri. Et benedictum.

In ſecundo Nocturno.

Antiph. Afferentur in lætitia, & exultatione, adducentur in Templum Regis.

Anti-

Antiph. Sanctificavit Tabernaculum suum Altissimus.

Antiph. Sicut lætantium omnium habitatio est in Te.

℣. Conversus est furor tuus.

℞. Et consolatus es me.

Pater noster.

Absolutio. Ipsius pietas.

℣. Jube Domne benedicere.

Benedictio. Deus Pater omnipotens.

De Sermone S. Bernardi Abbatis.

Serm. 3. de Pass.

Lectio IV.

QUia semel venimus ad Cor dulcissimum Jesu, & bonum est nos hic esse, ne sinamus nos facile avelli ab Eo, de quo scriptum est: recedentes a Te in terra scribentur. Quid autem accedentes? Tu ipse doces nos: Tu dixisti accedentibus ad Te: gaudete quia nomina vestra scripta sunt in Cælo. Accedamus ergo ad Te, & exultabimus, & lætabimur in Te, memores Cordis Tui. O quam bonum, & quam jucundum habitare in Corde hoc! Quin potius dabo omnia, omnes cogitationes, & affectus mentis commutabo, jactans omne cogitatum meum in Cor Domini Jesu, & sine fallacia illud me enutriet.

℞. Qui manducat meam carnem, & bibit meũ Sanguinẽ * in me manet & ego in eo.

 ℣. Non

℣. Non est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest Nobis. In me manet.

Lectio V.

AD hoc Templum, ad hæc Sancta Sanctorum, ad hanc Arcam Testamenti adorabo, & laudabo nomen Domini, dicens cum David: Invenit cor meum, ut orem Deum meum. Et Ego inveni Cor Regis, Fratris, & amici benigni Jesu. Et numquid non adorabo? Hoc igitur Corde Tuo, & meo, dulcissime Jesu, invento, orabo Te Deum meum: admitte tantum in Sacrarium exauditionis Tuæ preces meas; immo me totum trahe in Cor tuum. O omnium pulchritudine speciosissime Jesu, amplius lava me ab iniquitate mea, & a peccato meo munda me; ut purificatus per Te Purissimum, possim accedere, & in Corde Tuo omnibus diebus vitæ meæ merear habitare, & ut videre simul, & facere tuam valeam voluntatem.

℟. Sicut ovis ad occisionem ductus est, & dum male tractaretur, non aperuit os suum; traditus est ad mortem, * ut vivificaret populum suum.

℣. Tradidit in mortem animam suam, & inter sceleratos reputatus est Ut vivificaret.

Lectio VI.

AD hoc enim perforatum est latus tuum, ut nobis patescat introitus. Ad hoc vulneratum est Cor Tuum ut in illo, & in Te ab exterioribus perturbationibus absoluti habitare possimus. Nihilominus & propterea vulneratum est, ut per vulnus visibile, vulnus Amoris invisibile, videamus. Quomodo hic ardor melius ostendi potest, nisi quod non solum Corpus, verum etiam ipsum Cor lancea vulnerari permisit? Carnale ergo vulnus, vulnus spirituale ostendit. Quis illud Cor tam vulneratum non diligat? quis tam amans non redamet? Quis tam castum non amplectatur? Nos igitur adhuc in corpore manentes, quantum possumus amemus, redamemus, amplectamur vulneratum nostrum cujus impii agricolæ foderunt manus, & pedes; latus, & Cor: stemusque, ut cor nostrum durum adhuc, & impœnitens Amoris sui vinculo constringere, & jaculo vulnerare dignetur.

Quam charitatem Christi patientis, & pro generis humani Redemptione morientis, atque in suæ mortis commemorationem instituentis Sacramentum Corporis, & Sanguinis Sui, ut Fideles sub sanctissimi Cordis Symbolo devotius, ac ferventius recolant, ejusdemque fructus uberius percipiant, Clemens XIII.

Pont. Max. ejusdem sanctissimi Cordis Festum quibusdam petentibus Ecclesiis celebrare permisit.

℞. Magnus Dominus & laudabilis nimis: * & sapientiæ ejus non est numerus.

℣. Magnus Dominus & magna virtus ejus, & sapientiæ ejus non est finis. Et sapientiæ.

In Tertio Nocturno.

Antiph. Annunciate de die in diem salutare ejus.

Antiph. Adorate eum omnes Angeli ejus: audivit, & lætata est Sion.

Antiph. Viderunt omnes termini terræ salutare Dei nostri.

℣. Ex Sion species decoris ejus.

℞. Deus Noster manifeste veniet.

Pater noster.

Absolutio. A vinculis.

℣. Jube Domne benedicere.

Benedictio. Evangelica lectio.

Lectio Sancti Evangelii Secundum Joannem. Cap. 19. 31.

Lectio VII.

IN illo tempore Judæi, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in Cruce corpora Sabbatho (erat enim magnus dies ille Sabbathi) rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura, & tollerentur. Et reliqua.

Ho-

Homilia Sancti Augustini Episcopi.

Tract. 120. in Joan.

UNus Militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua. Vigilanti verbo Evangelista usus est, ut non diceret latus ejus percussit, aut vulneravit, aut quid aliud; sed aperuit, ut illuc quodammodo vitae ostium panderetur, unde Sacramenta manaverunt, sine quibus ad vitam, quae vera vita est non intratur. Ille sanguis, qui fusus est, in remissionem fusus est peccatorum. Aqua illa salutare temperat poculum, haec & lavacrum praestat, & potum. Hoc praenuntiabat quod Noe in latere Arcae ostium facere jussus est, quo intrarent animalia, quae non erant diluvio peritura, quibus figurabatur Ecclesia.

℟. Misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrē: * & qui manducat me vivet propter me.

℣. Cibavit illum Dominus pane Vitae, & intellectus. Et qui manducat.

De Homilia S. Joannis Chrysostomi.

Homil. 84.

Lectio VIII.

VIdes quanti sit veritas? per ea quae Judaei faciunt prophetia impletur; alia enim ex hoc manifestata est. Venerunt ergo Milites, & aliorum fregerunt crura, non Christi; sed ad Ju-

decorum gratiam conciliandam, latus Ejus lancea aperuerunt, & mortuo adhuc insultant. O pessimam voluntatem ac scelestissimam! Noli tamen perturbari, o dilectissime; quæ enim malo illi animo patrarunt, veritati consentiebant, prophetia hinc impleta est, inquiens: videbunt in quem transfixerunt. Neque hoc tantum, sed non crediturris fuit fidei argumentum, ut Thomæ, & qui cum eo erant. Ad hæc & arcanum mysterium confirmatum est; exivit enim sanguis, & aqua. Non casu, & simpliciter hi fontes scaturierunt, sed quoniam ex ambobus Ecclesia constituta est.

℟. Recessit Pastor noster, fons aquæ vivæ, ad cujus transitum Sol obscuratus est: * Portas mortis, & seras pariter Salvator noster disrupit.

℣. Destruxit quidem claustra inferni, & subvertit potentias diaboli. Portas.

Gloria Patri. Portas.

De Homilia S. Bonaventuræ Episcopi.

Lib. de lign Vitæ.

Lectio IX.

PОrro ut de latere Christi dormientis formaretur Ecclesia, divina est ordinatione indultum, ut unus Militum lancea latus sacrum illud aperiendo perfoderet, quatenus sanguine cum aqua manante, pretium effunderetur no-

nostræ salutis, quod a fonte scilicet Cordis arcano profusum, vim daret Sacramentis Ecclesiæ, ad vitam gratiæ conferendam; essetque jam in Christo viventibus poculum fontis vivi, salientis in vitam æternam. Surge igitur anima amica Christi, vigilare non cesses, ibi os appone, ut haurias aquas de Fontibus Salvatoris.

Te Deum laudamus.

AD LAUDES

Et per Horas.

Antiph. Discite a me quia mitis sum & humilis Corde.

Psal. Dominus regnavit. *cum reliquis de Dominica.*

Antiph. Sanctificavi locum istum, ut sit nomen meum ibi in sempiternum, & permaneant oculi mei, & Cor meum ibi cunctis diebus.

Antiph. Et dixi: Ergo sine causa justificavi cor meum, & lavi inter innocentes manus meas, & fui flagellatus tota die.

Antip. Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo, consolationes tuæ lætificaverunt animam meam

Antiph. Pone me ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium tuum.

Capitulum. Isaiæ 12.

Ecce Deus Salvator meus, fiducialiter agam, & non timebo, quia fortitudo mea, & laus mea Dominus, & factus est mihi in salutem. Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris.

HYMNUS.

COR, Arca legem continens
Non servitutis veteris;
Sed Gratiæ, sed veniæ,
Sed & misericordiæ.

Cor, Sanctuarium novi
Intemeratum Fœderis,
Templum vetusto sanctius,
Velumque scisso utilius.

Te vulneratum Charitas
Ictu patenti voluit
Amoris invisibilis,
Ut veneremur vulnera.

Hoc sub Amoris symbolo
Passus cruenta, & mystica,
Utrumque sacrificium
Christus Sacerdos obtulit.

Quis non Amantem redamet?
Quis non redemptus diligat,
Et corde in isto seligat
Æterna tabernacula?

Decus Parenti, & Filio,
Sanctoque sit Spiritui;
Quibus potestas, gloria,
Regnumque in omne est sæculum.
Amen.

℣. Vere

℣. Vere languores nostros Ipse tulit.
℟. Et dolores nostros Ipse portavit.

Ad Benedictus Antiphona.

Vulneratus est propter iniquitates nostras; attritus est propter scelera nostra: disciplina pacis nostræ super Eum, & livore Ejus sanati sumus.

O R A T I O.

Concede quæsumus, Omnipotens Deus, ut qui in sanctissimo dilecti Filii tui Corde gloriantes, præcipua in nos Charitatis ejus beneficia recolimus: eorum pariter & actu delectemur, & fructu. Per eumdem Dominum, &c.

Ad Prim. Respons. brev.

Christe Fili Dei vivi miserere nobis. Christe Fili Dei vivi miserere nobis.

℣. Qui passus es pro nobis. Miserere nobis.

Ad Tertiam. Capitulum.

Ecce Deus Salvator.

℟. *br.* Vere: * languores nostros Ipse tulit. Vere.

℣. Et dolores nostros Ipse portavit. Ipse tulit.

Gloria Patri. Vere.

℣. Posuit fines tuos pacem.
℟. Et adipe frumenti satiat te.

Ad Sextam. Capitulum. Isaiæ 12.

Dicetis in illa die: Confitemini Domino; & invocate nomen Ejus; & mementote quoniam excelsum est nomen Ejus.

℞. *br.* Posuit fines tuos pacem. Posuit.
℣. Et adipe frumenti satiat te.
Fines tuos pacem.
Gloria Patri. Posuit.
℣. Dirupisti Domine vincula mea.
℞. Tibi sacrificabo hostiam laudis.

Ad Nonam. Capitulum. Isaiæ 12.

Cantate Domino, quoniam mirifice fecit, annunciate hoc in universa terra. Exulta & lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel.

℞. *br.* Dirupisti Domine vincula mea. Dirupisti.
℣. Tibi sacrificabo hostiam laudis. Vincula mea. Gloria Patri. Dirupisti.
℣. Erit Dominus nominatus in signũ æternum.
℞. Quod non auferetur.

IN II. VESPERIS.

Omnia ut in primis, præter sequentia.

℣. Haurieris aquas in gaudio.
℞. De Fontibus Salvatoris.

Ad Magnificat. Antiphona.

Ad Jesum autem cum venissent, ut viderunt Eum mortuum, non fregerunt Ejus crura; sed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit sanguis, & aqua.

ORATIO.

Concede quæsumus, Omnipotens Deus, &c. *ut supr.*

DIE

DIE IV. JUNII.

In Festo S. Quirini Episcopi Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart.

ORATIO.

Deus, qui nos *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

Temp. Pasch de Communi primo loco.

Missa: Protexisti.

Extr. Temp Pasch in secundo Nocturno.

De serm. Trimuphalis *de Com. primo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Si quis vult *de Com. secundo loco.*

Missa : Sacerdotes Dei.

DIE VI. JUNII.

In Festo B. Bertrandi Patriarchæ Aquilejensis Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. exceptis iis, quæ sequuntur.

ORATIO.

DEus, qui Beatum BERTRANDUM pro Ecclesiæ suæ juribus ad mortem usque certantem invicta pastorali fortitudine roborasti; præsta fidelibus tuis, ut ad pietatis, & religionis constantiam ejusdem informentur exemplis. Per Dominum nostrum Jesum Christum Filium tuum, &c.

AD

AD MATUTINUM:

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

LECTIO IV.

BERTRANDUS Patriarcha Aquilejensis, natione Gallus, prope Cadurcum in Oppido Sancti Genesii, unde familiæ cognomen, nobilibus ortus parentibus, in sortem Domini vocatus, inter Canonicos Ecclesiæ Engolismensis Decanus fuit. Theologiæ verò, ac Juri Pontificio operam dedit eo successu, ut summum in utraque facultate gradum assequi, & in Academia Tolosana Sacros Canones interpretari meruerit. Mox Avenionem arcessitus Auditoris Sacri Palatii munere decem & septem annos perfunctus est. His igitur aliisque nominibus præclare de Romana Ecclesia meritum Joannes XXII. ad Patriarchalem dignitatem evexit: qua suscepta Bertrandus in Italiam veniens optimi Pastoris formam exhibuit, partesque omnes diligentissimè implevit. Diœcesanam Synodum fermè quotannis, Concilia duo, Utini unum, alterum Aquilejæ ex universa Provincia coegit: sermonibus ad Clerum, ad Sanctimoniales, ad populum, sanctissima in primis vivendi ratione gregem sibi creditum ad christianam pietatem inflammabat.

℞. In-

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus enim mea.

LECTIO V.

BOnorum Ecclesiæ dispensator fidelis in pauperum usus ea largissimè effudit, diuturnæ potissimum famis tempore, quo esurientes ad duo millia singulis diebus saturasse litteris proditum est. Id quoque memoria dignum refertur, quod nunquam cibum sumeret, quin prius in honorem duodecim Apostolorum totidem numero pauperes suis ipse manibus aluisset. Utini duo erexit Monasteria. Ædem Sanctæ *Mariæ*, quæ nunc Metropolitana est, & Canonicorum Collegium auxit, ut Conditoris loco habeatur. Forojuliensis Ecclesiæ tranquilitati consuluit: Divinum in ea cultum piis largitionibus fovit; utque peculiaris Deiparæ Virgini honor statis precibus deferretur auctor fuit. Ad hæc reparandis Ecclesiæ suæ jacturis labores innumeros, & longinqua vel in extrema senectute itinera suscepit, a Romanis aliquando Pontificibus ablegatus ad Reges, & magnos Principes, quibus ob eximiæ sanctitatis, & sapientiæ opinionem acceptissimus fuit, summoque semper in honore habitus. ℟. Po-

℞. Posui adjutorium super potentem, & exaltavi electum de plebe mea: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus enim mea auxiliabitur ei. [illegible]

LECTIO VI.

CUm divina id temporis humanaque omnia funesto partium studio permixta, ac recenti schismate perturbata forent, BERTRANDUS inter eas procellas Sancti Thomæ Cantuariensis præsidium, exemplumque sibi proposuit quo Ecclesiæ suæ jura vel ipso sanguine, si opus esset, fortiter tueretur, votique compos effectus est. Redux enim e Concilio Patavino, ubi contumeliis lacessitus non aperuit os suum, anno Millesimo Trecentesimo Quinquagesimo die VI. Junii in factiosos homines incidit, ac quinque vulneribus confossus, pro interfectoribus orans, præclara morte justitiæ coronam accepit Corpus exanime ad Utinenses missum Canonici sepulchro tradunt ante Aram maximam Nicolaus verò Bertrandi successor crebro permotus cum indigenarum, tum exterorum concursu ad Beati Viri sepulchrum, in arcam marmoream transferri curavit, quam Bertrandus, ipse, dum viveret, Sanctorum Martyrum Hermagoræ & Fortunati gestis insculptam sa-

cris eorum cineribus excipiendis ſervandiſque paraverat. Publicum jam inde cultum ei delatum Clemens VIII. ritè probavit, auxitque Apoſtolicis Litteris Benedictus XIV. Ut autem ejus Officium cum Miſſa ab univerſo Clero Utinenſis Eccleſiæ celebraretur Clemens XIII. benignè conceſſit.

℞. Iſte eſt, qui ante Deum magnas virtutes operatus eſt, & omnis terra doctrina ejus repleta eſt: * Ipſe intercedat pro peccatis omnium populorum.
℣. Iſte eſt, qui contempſit vitam mundi, & pervenit ad cæleſtia regna. Ipſe. Gloria Patri. Ipſe.

In tertio Nocturno.

Evang. Vigilate *ex eodem Communi, secundò loco.*

Miſſa: Sacerdotes Tui &c. *de Communi Conf. Pontif. ſecundo loco præter Orationes, quæ ſequuntur.*

ORATIO.

Deus, qui B. Bertrandum &c. *ut ſup.*

Secreta.

Sacra dona, quæ tibi Dominè reverenter offerimus in commemoratione Beati Bertrandi, Eccleſiæ tuæ libertatē tueantur, & pacem, & Sanctificationis noſtræ incrementa promoveant. Per &c.

Poſtcommunio.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, ut in honorem Beati Bertrandi cele-

brata

brata mysteria ejus virtutum imitatores, & tua propitiatione nos dignos efficiant. Per Dominum &c.

DIE IX. JUNII.

In Festo Ss. Primi, & Feliciani Mart.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm. præter ea, quæ habentur in Breviario.

Oratio pp. in eodem Brev.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

IV. & V. prop. in Brev.

VI. de Sermone. Quotiescumque.

De Communi primo loco.

In tertio Nocturno

Evang. Confiteor tibi Pater. 4 *Octobris.*

8. ℟. Hæc est vera Fraternitas.

Missa propria.

DIE XV. JUNII.

In Festo Ss. Viti, & Socior. Mart.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurim. Mm. præter ea, quæ habentur in Brev.

Oratio prop. in eodem Brev.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

IV. & V. prop. in Breviario.

VI. de Sermone: Nemo est *de Communi secundo loco.*

In

In tertio Nocturno.

Evang. Descendens *de eodem Communi secundo loco.*

Missæ propria.

DIE XVI. JUNII.

In Festo Ss. Felicis, & Fortunati Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm.

ORATIO.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone: Quotiescumque.

De Communi primo loco.

In tertio Nocturno.

Evang. Descendens *de eodem Communi secundo loco.*

8. ℟. Hæc est vera fraternitas.

DIE XVII. JUNII.

In Festo Ss. Ciricæ, & Muscæ Virg. Mar.

Duplex.

Omnia de Communi Virg. Mart.

ORATIO.

Da nobis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

DIE

DIE XIX. JUNII.

In Festo S. Nazarii Episcopi Conf. Ecclesiæ Justinopolitanæ Patroni

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif.

ORATIO.

Da quæsumus *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lection. de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

DIE XXII. JUNII.

In Festo S. Niceæ Episcopi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif.

ORATIO.

Exaudi, *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo & in tertio Nocturno de Com. secundo loco, cum ix lect; bijuncta & com. S. Paulini Episc. Conf.

DIE XXVII. JUNII.

In Festo S. Vigilii Episcopi Mar.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mar.

ORATIO.

Deus, qui nos *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.
De sermone: Triumphalis.
De Communi primo loco.
In tertio Nocturno.
Evang. Si quis vult *de Com. secundo loco.*

Festa Julii.

DIE III. JULII.

In Festo Ss. Processi, & Martiniani Mm.
Semiduplex.
Omnia de Com. plurimor. Mar. præter ea, quæ habentur in Brev. 2. Julii.
Oratio propria in Breviario,
In primo Nocturno.
Lectiones de scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.
IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm.
Quotiescumque *de Communi primo loco.*
In tertio Nocturno.
Evang. Descendens *de Com. secund. loco.*

DIE IV. JULII.

In Festo S. Uldarici Episcopi Conf.
Semiduplex.
Omnia de Communi Conf. Pontif.
ORATIO.
Exaudi *de Communi.*
In primo Nocturno.
Lectiones de Scriptura occurrente.
In secundo, & in tertio Nocturno.
De Communi secundo loco.

DIE

DIE V. JULII.

In Festo Ss. Gervasii, & Protasii Mm.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm. praeter ea, quae habent. in Brev. 19. Junii.

ORATIO.

Deus, qui nos annua *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

IV. & V. prop. in Brev. quae unitae disjungantur VI. de Serm. Quotiescumque *de Communi primo loco.*

In tertio Nocturno Evang. Descendens *De Communi secundo loco.*

8. ℟. Hæc est vera fraternitas.

DIE IX. JULII.

In Festo Ss. Accatii, & Soc. Mm.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm.

ORATIO.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

DIE X. JULII.

In Festo Ss. Septem Fratrum, & Soc. Mm.

Duplex.

Omnia ut in Breviario sed ritu dup.

DIE

DIE XI. JULII.

In Festo S. Pii Papæ Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mar. præter ea, quæ habentur in Breviario.

ORATIO.

Infirmitatem *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno

IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm. Triumphalis *de Comm. primo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Si quis venit. *De eodem Communi primo loco cum* IX. *lect;* & *com. Vig. Ss. Hermag.* & *Fort. Mm.*

DIE XI. JULII.

In Vig. Ss. Hermagoræ, & Fort. Mm.

MISSA: Protexisti.

De Comm. unius Mart. Temp. Paschalis.

ORATIO.

OMnipotens sempiterne Deus, da nobis Sanctorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati precibus adjuvari, ut quorum Festa prævenimus, eorum auxilium capiamus. Per &c.

Secreta.

Munera, Domine, quibus tuum cumulamus Altare, da quæsumus, ut ad salutem nostram Beatorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati pre-

catio-

catione proficiant, quorum solemnia præcurrimus.

Postcommunio.

Magnifica, Domine, Beatorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati solemnia recensentes, quæ promptis cordibus ambientes & suscipimus, & prævenimus. Per Dominum &c.

DIE XII. JULII.

In Festó Ss. HERMAGORÆ EPISC; & FORTUNATI DIAC. MART. S. Metrop. Archiepisc. Eccl. Utinensis Patronorum.

Duplex I. Classis:

Celebratur cum Octava.

Omnia de Communi plurimorum Mart. præter ea, quæ hic sunt pp.

ORATIO.

DEus, qui nos hodierna die Beatorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati multiplici facis celebritate gaudere, tribue quæsumus, eorum nos semper piis defensionibus muniri, & orationibus adjuvari. Per &c.

In primo Nocturno.

Lectiones: Fratres: Debitores *de Comm.*

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

HERMAGORAS Natione Germanus, Civis Aquilejensis Beati Marci Evangelistæ, qui primus in eadem

eadem Ecclesia Evangelium prædicavit, Discipulus, cum eo Romam petiit; ubi a Beato Petro Apostolorum Principe baculo Pastorali insignitus fuit. Aquilejam inde repetens, dum creditæ sibi Ecclesiæ excolendæ invigilat, apud Sebastum Præsidem accusatur, quod Christum jugiter prædicans, Deorum cultum everteret, quamobrem diutissime cæsus, cum interea Christo gratias ageret, ac Præsidis derideret sævitiem, jubetur in equuleo suspendi, & unguibus pectus dilaniari. Inde admotis pectori laminis candentibus, atque accensis lampadibus ad latera applicatis, quo diriora experiebatur supplicia, eo dulciores Christi laudes fortissimus Martyr efferebat.

℞. Sancti tui, Domine mirabile consecuti sunt iter, servientes præceptis tuis, ut invenirentur illæsi in aquis validis: * Terra apparuit arida, & in mari rubro via sine impedimento.

℣. Quoniam percussit petram, & fluxerunt aquæ, & torrentes inundaverunt: * Terra, &c.

LECTIO V.

EO spectaculo commota Civitate, Sebastus furorem populi timens, subtractum tortoribus Hermagoram carceri tetro emancipat. Nox erat, cum eo loco ingens de Cælo effulsit lumen, atque persuavis odor replevit carcerem,

quibus prodigiis excitatus Pontianus carceris Custos ac illustratus ea cælesti luce, antiquam superstitionis caliginem discutiens, ad pedes Sanctissimi Præsulis provolutus, initiari postulat Christianis Mysteriis: cujus exemplo excitata Civium multitudo ad Hermagoram certatim confluit, ac Crucifixi Dei gloriam cælesti spiritu prædicantem attendit, ejusque Religionem veram esse, atque unicam in Cælum viam edocta, Christiano Gregi per lavacrum regenerationis adjungitur, incredibili cum gaudio Sancti Pastoris. Fuit ex eo numero Gregorius Patritius Aquilejensis, cujus filium a triennio energumenum, jubente Hermagora Dæmon dimisit (perspicientibus cunctis) atque e carcere egressus, Gregorio, universaque illius familia propriis in ædibus baptizata in carcerem ultro revertitur, quem ob crebra miracula Dei Sacrarium reddiderat, ac sibi inter loci illius angustias, & squallorem, tanquam in Cælo æternis cum Christo deliciis frui videbatur.

℟. Verbera Carnificum non timuerunt Sancti Dei morientes pro Christi nomine.* Ut hæredes fierent in Domo Domini.

℣. Tradiderunt Corpora sua propter Deum ad supplicia: * Ut hæredes.

LECTIO VI.

CUm itaque adverterent Presbyteri, & Clerici Hermagoram amore Christi Domini ita succensum, ut nihil magis, quam Martyrium exoptaret, rogabant quid facturi essent eo sublato; & responsum acceperunt, quod Fortunatum suum Archidiaconum in Episcopum eligerent, qui sacris undis Matronam viduam Alexandriam nomine abluerat, quæ in carcere, Præfecto annuente, admissa, ad pedes Hermagoræ lumen oculorum jam receperat. Quibus ad Sebastum delatis, Fortunatum quoque in eundem carcerem detrudi jubet, ubi tam multa per ambos edebantur in dies miracula, ut semper magis sibi metuens Sebastus multitudinem Populi, quæ Christo adhæserat, spiculatorem de nocte immiserit, qui Christi athletis cervices abscinderet. Quo peracto cadavera, & sanguis a Pontiano clam collecta, & a pia muliere Alexandria, Gregorio adjutore, aromatibus delibuta in agro suo juxta Urbis mœnia perhonorifice condita sunt. Passi sunt sub Nerone Cæsare IV. Idus Julii.

℟. Tanquam aurum in fornace probavit electos Dominus, & quasi holocausti hostiam accepit illos, & in tempore erit respectus illorum: Quoniam donum, & pax est electis Dei.

℣. Qui confidunt in illum intelligent veritatem, & Fideles in dilectione acquiescent illi. Quoniam &c. Gloria &c. Quoniam.

In tertio Nocturno.

Evang. Cum audieritis *de Com. pr. loco.*

ORATIO.

Deus, qui hodierna die &c. *ut supr.*

Secreta.

Munera humilitatis nostræ Domine, quæ pro Sanctorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati gloriosa passione, & solemnitate offerimus, quæsumus, clementiam tuam respicere dignare, & ipsorum intercessione tam ad profectum vitæ, quam animæ salutari nobis consueta miseratione provenire concede. Per Dominum.

Postcommunio.

Sumentes, Domine, Cælestis dona mysterii, quæsumus, ut Sanctorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati adjuvemur meritis, quorum solemnitatem celebramus. Per Dominum &c.

DIE XIII. JULII.

In Anniv. Dedic. Basilicæ S. Mariæ Aquilejensis.

Duplex.

Omnia de Communi Dedicationis Eccl. cum com. Oct. Ss. Hermag. & Fort. Mm.

DIE

DIE XV. JULII.

In Divisione Apostolorum.

Duplex.

Omnia de Communi Apostolorum.

O R A T I O.

DEus, qui universum Mundum B. Apost. predicatione docuisti: da nobis quæsumus, ut quorum hodie Divisionem colimus, per eorum ad te e-exempla gradiamur. Per &c.

In primo, & in secundo Nocturno. Lectiones de Comm. Apost. primo loco.

In tertio Nocturno.

Lectiones ex fer. 5. infra Octav. Pent. cum com. Octav. ut supra.

Missa Votiva de Apostolis cum Gloria ut assignata in Ordine.

O R A T I O.

Deus, qui universum Mundum&c. *ut sup.*

Secreta.

Mitte quæsumus Domine Spiritum Sanctum tuum, qui Sanctorum Apostolorum tuorum linguas ad prædicandum fecit disertas, ut & hæc præsentia Munera sanctificet, & ad hæc percipienda cordium nostrorum purget habitaculum. Per ... in unitate ejusdem.

Postcommunio.

Præsta quæsumus Omnipotens Deus, ut sicut B. Apostolos tuos prædicatio sancta in tota Ecclesia fecit gloriosos; ita & per hæc sacra, quæ sumpsimus, eorum

eorum nos ſequi documenta; ut & gaudia conſequamur æterna. Per &c.

DIE XVIII. JULII.

Pro ſola S. Eccleſia Metropolitana:

In Feſto Sacrarum Reliquiarum, quæ in S. Metrop. Eccl. Utinenſi aſſervantur.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm. præter ea, quæ hic ponuntur.

ORATIO.

AUge in nobis, Domine, reſurrectionis Fidem, qui in Sanctorum tuorum Reliquiis mirabilia operaris: & fac nos immortalis gloriæ participes, cujus in eorum cineribus pignora veneramur. Per Dominum noſtrum &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In ſecundo Nocturno.

Ex Tractatu S. Joannis Damaſceni de fide Ortodoxa Cap. 16. Lib. 4.

LECTIO IV.

CHRISTUS Dominus Sanctorum Reliquias, velut ſalutiferos fontes præbuit, ex quibus plurima nobis beneficia manant, ſuaviſſimumque unguentum profluit. Nec vero quiſquam huic ſermoni fidem detrahat; nam ſi aqua in deſerto ex aſpera, & ſolida rupe, atque ex Aſini maxilla ad ſedandam Sampſoni ſitim, Deo ita volente pro-

prosiliit, erit ne cur cuiquam incredibile videatur, ex Martyrum Reliquiis suave unguentum scaturire? Minimè certè, iis quidem, quibus Dei potentia honorque, quo Sanctos suos afficit, perspectus, & exploratus est. Atque illud quidem veteri lege comparatum erat, ut quisquis mortuum contigisset, immundus censeretur; verum hi in mortuorum numero minimè habendi sunt.

℟. Sancti tui Domine.

LECTIO V.

EX quo enim ipsamet vita, ac vitæ auctor inter mortuos adscriptus est, eos, qui in spe resurrectionis, fideique erga eum, diem extremum clauserunt, mortuos haudquaquam appellamus. Qui enim mortuum corpus miracula edere queat? Per ea dæmones expelluntur, morbi profligantur, ægroti sanantur cæci prospiciunt, leprosi mundantur, tentationes, ac mœrores discutiuntur, ac denique omne donum optimum à Patre luminum, eorum opera ad eos, qui fide minimè dubia postulant descendit. Quid non laboris suscipias, ut patronum quemdam nanciscaris, qui te mortali Regi offerat, ac tuo nomine ad eum verba faciat? An non igitur hi honorandi sunt, qui totius humani generis Patronos se profitentur, ac Deo nostra causa supplicant?

℟. Verbera Carnificum.

LECTIO VI.

HOnorandi certè, & quidem ita ut in eorum nomine templa Deo extruamus, dona offeramus, eorum memoriam colamus, atque in ea ſpiritualiter oblectemur, quo nimirum lætitia noſtra iis, à quibus invitamur, congruat, ne dum eos colere, & demereri ſtudemus, offendamus potius, & irritemus. Quibus enim rebus Deus colitur, iiſdem quoque ſervi ipſius oblectantur; quibus autem Deus offenditur, iiſdem etiam ipſius milites offenduntur. Quocirca in pſalmis, & hymnis, & canticibus ſpiritualibus, & compunctione, & eorum, qui in egeſtate verſantur, commiſeratione, quibus obſequiis Deus potiſſimum conciliatur, Sanctos colamus, Statuas ipſis, & viſibiles imagines erigamus, imo ipſi virtutibus eorum imitandis hoc conſequamur, ut vivæ eorum ſtatuæ, atque imagines ſimus.

℟. Tanquam aurum.

In tertio Nocturno.

Evang. Deſcendens *de Com. ſecundo loco. Cum* IX. *lectione ex duabus unitis, & com. Ss. Symphoroſæ, & Filior. Mart. ſed prius fit com oct.*

DIE XIX. JULII.

In Octava Ss. Hermag; & Fort. Mm.

Duplex.

Omnia ut supra in die ipsorum Festo XII. hujus præter Lectiones primi Nocturni sumendas ex fer. occurrente, & sic quoque Missa ut in Festo.

DIE XXIV. JULII.

In Festo S. Christinæ Virg. Mart.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. Mart.

ORATIO.

Indulgentiam *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone: Quoniam hodie

De Communi primo loco.

In tertio Nocturno.

Evang. Accesserunt *cum* IX. *lect. & com. Vig.*

DIE XXVII. JULII.

In Festo S. Pantaleonis Martyris.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart.

Ad Magnificat *Antiphona.*

Gloriosus Pantaleon cælestem Medicum toto dilexit corde, & moriens pro Christo vivit in cælo coronatus.

ORATIO.

DEus, qui Beatum Pantaleonem Martyrem tuum varia tormenta superare fecisti, & pro persecutoribus exorare; concede propitius, ut qui ejus imploramus auxilium, misericordiæ tuæ sentiamus effectum. Per, &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

PANTALEON Nicomediensis filius Eustorgii Gentilis, & Eubulæ Christianæ, medicam artem ab Euphrosyno didicit: cùm autem Hermolaus Presbyter ex modestiæ vultus, incessu & serenitate oculorum altè de illo judicasset, illum accersivit, & cœpit in cor fluenta divinæ fidei infundere. Crede mihi, dixit: Æsculapii, & Hippocratis medicamenta parva sunt, & parùm prodesse possunt; quinimmò ipsi dii, quos colit Maximianus, sunt vana omninò fabula. unus autem solus verus Deus est Christus, in quem si credideris, ejus sola invocatione omnes morbos fugabis: quæ verba servabat in corde, jugiter meditabatur, & suaviter allectus, ad Hermolaum ut ad magistrum hilaris quotidie ventitabat. Cùm autem quadam die videret puerum mortuum, &

propè

propè eum viperam quasi ostendentem, quod ei mortem intulisset, intra se dixit: si vera sunt dicta Hermolai invocato nomine Christi, puer iste vivet, & bellua morietur; quod uti cogitaverat accidit; & statim infusa luce securitatis omnis caligo discessit, & benedicens Deum, æstuansque desiderio sacri baptismi ab Hermolao gaudens illum suscepit.

℟. Honestum fecit illum Dominus, & custodivit eum ab inimicis, & à seductoribus tutavit illum: * Et dedit illi claritatem æternam.

℣. Descenditque cum illo in foveam, & in vinculis non dereliquit eum. Et dedit.

LECTIO V.

NON multo post cęco visum restituit, & patri Eustorgio tenebras impietatis solvit, qui idola calcans, & verum Deum confessus baptizatur. Mortuo patre egenis opem, & languentibus sanitatem largiebatur; quare ad Maximianum deferunt, qui primum honore, & blanditiis attrahere studet, deinde minatur mortem, & dura supplicia, si diis non offerat sacrificium. Sed cùm omnia invicto animo respueret, in ligno suspenditur, ferreis laniatur ungulis, & lampades ignis lateribus ejus admoventur: at illi oranti apparuit Christus

dulcibus verbis recreans, & illicò laxatæ sunt manus lictorum, extinctæ lampades, & plumbum liquatum, in quod postmodum tyranno jubente injectus fuit, in naturalem mutatur frigiditatem. Sed quid non tentat ingeniosa crudelitas! mandat ingentem lapidem collo alligari, sicque in mare demitti; sed lapis non secùs ac folium leve supernatat, & Pantaleon firmiter super undas graditur. Non cessit tantis prodigiis tyranni obcæcata mens, sed feris insanior jubet ad feras produci. Crudele spectaculum! sed spectabili cælo confluxit tota civitas. Congrediuntur cum Athleta feræ, sed illæ tanquam ratione utentes; & indutæ humanitatem, quam exuerat Imperator, reverenter ad Martyrem accedunt, blandiuntur, pedesque illius lingua tangentes veluti contendebant, quænam prima ad eum accederet, & non priùs recederet, quàm Martyr ei manum imposuisset, ac benedixisset.

℟. Desiderium animæ ejus tribuisti ei Domine: * Et voluntate labiorum ejus non fraudasti eum.

℣. Quoniam prævenisti eum in benedictionibus dulcedinis: posuisti in capite ejus coronam de lapide pretioso. Et.

LECTIO VI.

QUO viso clamabant multi: Dimittatur justus, magnus est Deus Christianorum, qui quidem solus, & verus est. Sed Maximianus nec edoctus a feris pietatem, nec tanto lumini cedens, imperat Pantaleonem in locum editum ferri, & rotæ alligatum in præceps per declive demitti: at rota ultrice, & plures Deorum opprimente cultores, illæsus evasit; quare gladio occidi jussit. Accessit lictor, oleæ plantæ illum alligat, sed cùm exequeretur ictum, conversa fuit ferri acies ceræ similis; quo miraculo stupefacti lictores ad pedes Martyris provoluti veniam precantur Christum apertè confitentes. Sed tandem ne periret gloria Martyrii caput abscinditur, & statim lac pro sanguine fluxit, & planta oleæ, cui alligatus fuerat, fructibus onusta apparuit: cùm autem quidam fideles convenissent sacrum corpus in suburbano cujusdam Scolastici reverenter reponunt, & quem in vita tantis prodigiis Dominus illustraverat, post obitum innumeris decoravit; inter quæ præclarum illud, quod sacer ejus cruor, qui in ampulla servatur Ravelli in Regno Neapolitano, & Romæ, à primis Vesperis festi usque ad diem sequentem, in quo Ecclesia celebrat ejus martyrium, cùm coa-

coagulatus anteà exiſtat, mirum in modum liquefieri, & undequaque fluidum moveri: cunctis cementibus quotannis conſpicitur; quod etiam accidit in portione Sanguinis, qui in Monaſterio Regali Incarnationis Monialium Sancti Auguſtini Matriti inter pretioſiora pignora aſſervatur.

℟. Stola jucunditatis induit eum Dominus: * Et coronam pulchritudinis poſuit ſuper caput ejus.

℣. Cibavit illum Dominus pane vitæ & intellectus: & aqua ſapientiæ ſalutaris potavit illum. Et coronam. Gloria Patri. Et.

In tertio Nocturno.

Evang: Nihil eſt opertum *vel ex 26. Januarii, vel ex 14. Octobris.*

Ad Laudes, & per Horas, Antiph. In tormentis apparuit Christus, Pantaleonem mira dulcedine perfundens.

Pſalm. Dominus regnavit: *cum reliquis de Laudibus Dominicæ.*

Antiph: Ego enim (ait Chriſtus in Habitu Hermolai), tecum ſum in omnibus, quæ propter me pateris.

Antiph: Cum pro lictoribus exoraret, audivit de cælo: Ultra non vocaberis Pantaleon, ſed Pantaleemon, ideſt miſericors, quia multi per te miſericordiam conſequentur.

Antiph. Lacte, & cruore Martyris col-

collum fluit; pro quo cruorem, & aquam Christus fuderat.

Antiph. Pantaleon variè cruciatus jugiter canebat: Sæpè expugnaverunt me a juventute mea; etenim non potuerunt mihi.

Capitulum, Hymnus, & ℣. ut in Laudibus, de Communi unius Mart.

Ad Benedictus. Antiph.

Dixit Maximianus Pantaleoni: Quænam est ars præstigiarum, quæ tibi extinxit lampades, & satellitibus vires abstulit; ad quæ respondit: Meæ præstigiæ Christus est.

Oratio. Deus qui Beatum Pantaleonem, *ut supra.*

Ad Horas, Antiphonæ sumuntur ex Laudibus, supra: Reliqua omn. de eod. Com.

In 2. Vesp. Antiph. In tormentis *cum reliquis de Laudibus, ut supra.*

Psal. Dixit Dominus, *cum reliquis de Dominica, & loco ultimi, Psalm.* Credidi, propter quod.

Ad Magnificat, Antiph. Recordatus fuit misericordiæ Domini, & in conspectu astantium factus est aliis adjutor.

Oratio ut supra.

Deinde fit com. Ss. Nazarii, & Socior. Mm. ut in Breviario.

Miss. Lætabitur, *de Communi unius Mart. non Pontif. secundo loco cum Orat. ut supr.*

Fe-

DIE III. AUGUSTI.

In Inventione S. Stephani Protomart. Ecclesiæ Concordiensis Patroni.

Duplex.

Omnia ut in Brev. sed ritu duplici.

DIE XIII. AUGUSTI.

In Festo Ss. Hippolyti, & Cassiani Mm.

Semiduplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm. præter ea, quæ habent. in Brev.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm. Nemo est *de Communi secundo loco.*

In tertio Nocturno Evang. Descendens. *De Comm. secundo loco, cum com. Oct.*

DIE XVI. AUGUSTI.

In Festo S. Rochi Conf.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif.

ORATIO.

Deus, qui nos *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

Cum commem. Octavar.

DIE

DIE XVIII. AUGUSTI.

In Festo S. Agapiti Mart.

In Ecclesia Metropolitana Duplex.

Extra Eccl. Metropol. Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter ea, quæ habentur in Breviario.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

IV. prop. in Breviario, V. & VI. de Serm: Triumphalis *de Com. primo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Si quis vult *de Communi secundo loco cum com. Octav. Assumpt.*

DIE XXI. AUGUSTI.

In Festo Ss. Donati, & Socior. Mm. Ecclesiæ Civitatensis Tutel.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm.

ORATIO.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lect. de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

Cum commem. Octav.

DIE XXVI. AUGUSTI.

In Festo Ss. Hermogenis, & Fortunati M.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor Mm.

ORA-

ORATIO.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno

De Sermone: Quotiescumque.

De Comm. primo loco.

In tertio Nocturno.

Evang. Descendens *de Com. secundo loco.*

Cum IX. lect. & com. S. Zephyrini M.

DIE XXVII. AUGUSTI.

In Translatione Ss Hermagoræ, & Fortunati Mm.

Duplex.

Omnia de Com. plurim. Mm. præter Or.

ORATIO.

DEus, qui gloriosa B. Martyrum tuorum Hermagoræ & Fortunati membra nobis famulis tuis revelare dignatus es, concede propitius, ut qui eorum Corporum Translationem hodie venerando colimus, ipsorum beatitudini, te concedente, adjungi mereamur. Per Dominum &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

Missa Intret.

ORATIO.

Deus, qui Gloriosa B. Martyrum &c.
ut supra.

Se-

Secreta.

Munera humilitatis nostræ, Domine, Sanctorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati Translatione offerentes, quæsumus te propitius respicere dignare, & ipsorum intercessione tam ad profectum vitæ, quam animæ salutari nobis consueta miseratione provenire concede.

Postcommunio.

Sumentes, Domine, cælestis dona mysterii, quæsumus, ut Sanctorum Martyrum tuorum Hermagoræ, & Fortunati adjuvemur meritis quorum Translationem debita veneratione celebramus. Per Dominum, &c.

Festa Septembris.

DIE I. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Ægidii Abbat.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif. præter ea, quæ habentur in Brev.

ORATIO.

Intercessio *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In Secundo Nocturno.

IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm. Beati *de eodem Comm. secundo loco.*

In

In tertio Nocturno.

Evang. Ecce nos reliquimus *de Com. Ab. cum com. Ss. Duodecim Fratrum.*

DIE III. SEPTEMBRIS.

In Festo Ss. Euphemiæ, & Soc. Vv. Mm.

Duplex.

In utrisq. Vesp. Ad Magnificat, *& in Laudibus* ad Benedictus.

Antiph. Prudentes Virgines aptate vestras lampades, ecce Sponsus venit exite obviam ei.

℣. Adducentur, *ut in Communi.*

ORATIO.

DA nobis, misericors Deus, Sanctis Virginibus, & Martyribus tuis Euphemia, Dorothea, Thecla, & Erasma intercedentibus, cælestis gratiæ abundantiam, ut earum passio celebrata præsentis vitæ subsidium conferat, & æternæ. Per Dominum &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

EUPHEMIA, DOROTHEA, THECLA, & ERASMA Virgines Aquilejenses nobiliter progenitæ, quarum priores Valentii filiæ hominis Idololatriæ addicti; sequentes vero Valentiniani ejusdem fratris Christi nomen profitentis, cujus studio omnes in Christiana

fide

fide erudiebantur. Quadam vero die dũ suppliciter efflagitarent, ut Natisi fluminis lustralibus undis, baptismatis desiderio, abluerentur, precibus Deo oblatis insigni prodigio flumen divinitus cursum remoratur, ac tamdiu constitit, donec eadem hora adveniente Valentiniano, ac beato Hermagora Episcopo, continuo baptizantur, & virgines Deo consecrãtur. Cum interim Valentius Euphemiã, & Dorotheam nubendas destinasset: respuunt illæ terrenas nuptias, cælesti Spõso dicatæ. His genitor auditis insaniens, arrepto gladio, utramque aggreditur; at illæ furentis Patris e manibus elapsæ, ad Valentinianum Patruum confugiunt, quas ipse cum filiabus in suæ Domus latebris abdidit. Verum fraude servi detectæ, qui statim a Dæmone arreptus, in Natisum fluvium se præcipitem dedit; ab ipso Valentio insequente orantes deprehensæ, Servasto Præsidi pro Christiano nomine puniendæ traduntur.
℟. Propter veritatem.

LECTIO V.

DElatas sibi virgines Præses, ut eas vidit blanditiis ad Apostasiam attrahere non potuisse, imperat primum nudas flagellis cædi, inverso mox corpore suspendi, & malleis capita eousque contundi, quo sanguis e naribus copiose difflueret: sed omnibus cruciatibus fortiores, car-

ceri mancipandas deseruit. Sequenti mane, quia a vulneribus incolumes cernebantur, hortatur Servastus pro accepto beneficio diis litare, quorum pietati salutem debere suadebat; at illæ solum Jesum Dei filium cælestem medicum confitentur, & prædicant. Jubet interea Præses easdem equuleo suspendi, latera lampadibus aduri, ac tamdem mamillas crudeliter amputari, quæ canibus devorandæ projectæ, singulari ab ipsis custodia venerantur Iterum igitur carceribus occluduntur, & altera die nudæ circumducuntur per Urbem; sed orante Sancta Euphemia, Angelus Domini singulas candida stola superinduit, ac pristinæ incolumitati restituit, quin & novum contulit decorem, cum in earum corporibus, nec plagarum vestigia apparerent, & vultus earum Solis instar enitescerent.

℟. Dilexisti justitiam.

LECTIO VI.

TAntis prodigiis, Virginumque constantia nil commotus Præses, ut audivit irridentes inania Deorum simulacra, capite plectendas mandavit, quã impiam sententiam in filias, & neptes Valentius ipse sese obtulit executurum. Adiit ergo altissimam Turrim, ubi filias eximiæ pulchritudinis ante acto tempore aliquandiu custodierat, ibique pro-

priis

priis manibus omnium capita obtruncavit, & inter præterfluentem Natisum dejecit: Divinam tamen ultionem immanis adeo facinoris vindicem sensit, ingenti illico terremotu Turri concussa, igneque cælitus obruente; qui Valentium ejusque comites, & Turrim ipsam a fundamentis incendit. Cum autem noctu Valentinianus cum Sancto Hermagora Beatarum Virginum corpora, & capita inquisiturus descenderet prope flumen, ecce navicula apparuit, sacris pignoribus onusta, quæ a duobus juvenibus ingentis speciei, & luminis, Navem ducentibus, Sancto Antistiti oblata, ab eo honorifico sepulchro religioso Cleri comitatu, domi ejusdem Valentiniani in Ecclesiam consecratę, condita sunt.

℟. Afferentur.

In tertio Nocturno.

Evang. Accesserunt ad Jesum.

De Communi Virg. secundo loco.

DIE IV. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Pelagii Mart.

Ecclesiæ Æmoniensis Patroni.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart.

ORATIO.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui *de Communi.*

In

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco.

DIE VI. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Danielis Prophetæ Conf.

Duplex.

Omnia de Com. Conf. non Pontif. præter Lectiones. In Hymno Iste Confessor *mutatur tertius versus.*

ORATIO.

Deus, qui nos *de Communi.*

In primo, & secundo Nocturno.

Lectiones ex Dom. tertia Novembris.

In tertio Nocturno.

Evang. Dom. 24. post Pentecostes.

DIE VII. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Anastasii Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart.

ORATIO.

Præsta ... ut qui *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

DIE XIII. SEPTEMBRIS.

In Festo Ss. Septem Dormientium Mm.

Semiduplex.

Omnia

Omnia de Communi plurimor. Mm.

ORATIO.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi secundo loco.

DIE XXII. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Christophori Mar.

(in Brev. 25. Julii.)

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart.

ORATIO.

Præsta ..... ut qui *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Comm. secundo loco cum IX. *lect; & com. Ss. Mauritii, & Soc. Mm.*

DIE XXV. SEPTEMBRIS.

In Festo S. Juliani Mart.

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart.

ORATIO.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut intercedente *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno

De Sermone Triumphalis.

De Comm. primo loco.
In tertio Nocturno.
Evang. Si quis vult *de Com. secund. loco.*

Festa Octobris.

DIE V. OCTOBRIS.

In Festo S. Margaritæ Virg. Mar.
(in Brev. 20. Julii.)
Semiduplex.
Omnia de Communi Virg. Mar.
ORATIO.
Indulgentiam *de Communi.*
In primo Nocturno.
Lectiones de Scriptura occurrente.
In Secundo Nocturno.
De serm. Quoniã hodie *de Com. prim. loco.*
In tertio Nocturno.
Evang. Thesauro *de Com. cum* IX *lect.* *& com. Ss. Placidi, & Soc. Mm.*

DIE VII. OCTOBRIS.

In Festo S. Justinæ Virg. Mar.
Duplex.
Omnia de Communi Virg. Mar.
ORATIO.
Deus, qui inter cætera *de Communi.*
In primo Nocturno.
Lectiones de Scriptura occurrente.
In secundo, & in tertio Nocturno.
De Communi primo loco cum com. *Ss. Sergii, & Soc. Mm.*

DIE

DIE X. OCTOBRIS.

In Festo Ss. Gereonis, & Socior. Mm.

Duplex.

Omnia de Communi plurimor. Mm.

ORATIO.

Deus, qui nos concedis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone: Nemo est.

De Communi secundo loco.

In tertio Nocturno.

Evang. Cum vos persequentur. 2. *Maii.*

DIE XI. OCTOBRIS.

In Festo S. Marci Papæ Conf.

(in Brev. 7. Octobris.)

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter ea, quæ habentur in Breviario.

Oratio pp. in Breviario.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm. Ad Sancti *de Comm. primo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Vigilate *de Com. secundo loco.*

DIE XII. OCTOBRIS.

In Festo S. Fidei Virginis Mart.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. Mm.

ORATIO.

Indulgentiam *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone: Nunc nobis *de Communi secundo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Decem Virginibus *de Comm.*

DIE XXI. OCTOBRIS.

In Festo Ss. Ursulæ & Soc. Virg. Mm.

Semiduplex.

Omnia de Communi Virg. Mart.

ORATIO.

Da nobis *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Serm. Quoniam hodie *de Communi primo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Cum audieritis *ex Comm. plurimor. Mm. primo loco cum* IX. *lect. bijuncta, & com. S. Hilarionis Abb.*

DIE XXX. OCTOBRIS.

In Festo B. Benvenutæ Bojani Forojulensis Virg.

Duplex.

Omnia de Com. Virg. tant. præt. ea, quæ sequuntur.

ORA-

ORATIO.

GRatiam nobis, Domine, pœnitentiæ, orationis, & humilitatis infunde, ut Beatæ Benvenutæ Virginis imitatione possimus & carnem mortificantes spiritu vivere, & cælestia jugiter cogitantes, nosque despicientes, in te solo Deo requiem, & gloriam invenire. Per Dominum &c.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

BENVENUTA Patre Conrado Bojano, a quo in posteros nobilissimæ stirpis a Pertica Bojanorum agnomen est propagatum, Matre Albertina a Bultinico Forojulii Carnorum orta, ab ipsa pene infantia præclara indicia futuræ sanctitatis dedit. Nam ornatum corporis, ludosque, quibus ea ætas delectari solet, fastidiens, e propinquorum conspectu in remotum viridarii paterni locum, unde liber ad ædem S. Mariæ in altissimi Montis vertice sitam prospectus erat, se abdere, ibique preces ad multas horas producere consueverat. Quo tempore prostrationibus, flexionibusque genuum crebris, ac laboriosis corpusculum fatigabat. Paulum ætate progressa sibi cilicium induit, quod

sex ipsis annis, corpus in servitutem redactura, tulit: Catena ferrea primum deinde arctius funiculo lumbos cinxit; qui, ubi ea adolevit, ita adhæsit carnibus, ut sine chirurgi opera recidi, avellique non posset. Itaque, ne res efferretur, ad preces se ipsa convertit; utque sibi funiculus ante pedes decideret, divinitus, ut est memoriæ proditum, impetravit.

℟. Propter veritatem &c.

LECTIO V.

CUm in tertium Sancti Dominici Ordinem cooptata esset, Deoque virginitatem devovisset suam, ejus, quem sibi patris loco delegerat, imitata vitam a vino se atque à carnibus abstinere, permultas noctes, easque potissimum, quæ præcipuis diebus festis antecederent, meditationi divinarum rerum, precibusque insistens pene insomnes ducere, quietisque aliquantulum captura, lapide capiti supposito, humi cubare, catena ferrea ter se quaque nocte cædere diutissime perseveravit: cui postremo generi afflictationis Confessario obtemperans modum aliquando fecit. Qua vitæ severitate sic debilitata viribus est, ut tandem in morbum inciderit siderationis. Cumque difficili uteretur respiratione, jacereque propterea nequiret, atque idcirco sedere perpetuo coge-

cogeretur, contractis ulceribus sine maximo doloris sensu ne leviter quidem adtolli poterat. Quem dolorem sic pertulit; ut ejus patientiam laudarent omnes, assiduitatem orandi admirarentur. Quinquennio fere cum vexata adeo pertinaci ægritudine fuisset; recuperandæ (si modo placuisset Deo) salutis causa, voto Bononiam se se ad Sancti Dominici sepulcrum conferendi facto, repente summa adstantium admiratione sanata est. ℟. Dilexisti &c.

LECTIO VI.

BOnoniam profecta, solutoque voto, in patriam revertit; quodque jamdiu cœperat, postque valetudinis causa intermiserat, denuo suscepit institutum vitæ. Quo quidem instituto austeritatis & laboris pleno cum ita spiritui subegisset carnem, ut mentem facile avocaret à sensibus, atque in una mysteriorum Fidei contemplatione defixa esse videretur; multis, magnisque aucta divinitus donis fuit. Sed in ea copia gratiarum à nulla re magis abhorruit, quam ab inanis gloriæ cupiditate. Denique inedia, vigiliis, defatigatione corporis diuturna afflicta, cum petiisset dissolvi & esse cum Christo, sacris Ecclesiæ susceptis, tertio Kalendas Novembris anno millesimo ducentesimo nonagesimo secundo læta decessit. Quod ut est di-

vulgatum, magno numero Cives, rati novam se in Cælis apud Deum patronam nactos: in ejus ædes primum, tum in Ecclesiam Fratrum Prædicatorum Forojuliensium quò illius corpus inlatum est, miraculisque, ut fertur, illustrari cœpit venerationis erga illam suæ, cultusque declarandi causa confluxerunt. Quem cultum numquam intermissum CLEMENS XIII Pontifex Maximus ex Sacræ Rituum Congregationis consulto probavit, Ordinique Prædicatorum universo de Beata Benvenuta Virgine recitandi Officii, Missæque celebrandæ potestatem fecit.

℟. Dilexisti &c.

In tertio Nocturno.

Evang. Decem Virginibus *de Com.*

Festa Novembris.

DIE II. NOVEMBRIS.

In Festo S. Justi Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mar.

ORATIO.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Serm. Triũphalis *de Com. primo loco.*

In

In tertio Nocturno.

Evang. Nisi granum 10. *Augusti cum com. octav.*

DIE VI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Leonardi Conf.

Semiduplex.

Omnia de Communi Conf. non Pontif.

ORATIO.

Adesto *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lection. de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco cum com. oct.

DIE VII. NOVEMBRIS.

In Festo S. Prosdocimi Episcopi Conf. Ecclesiæ Patavinæ Patroni.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter ea, quæ sequuntur.

ORATIO.

Exaudi, *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

PROSDOCIMUS natione Græcus cum Petro Apostolo, cujus erat discipulus, Antiochia Romam venit: & ab eodem ordinatus Episcopus, ad prædicandum Evangelium Patavium mis-

missus est, cum vix annum vigesimum attigisset. Ad provinciam sibi creditam accedens plurimos præ foribus urbis reperit variis languoribus detentos, qui stipem ab introeuntibus postulabant. Sed quia non habebat quid eis largiretur, qui unica contentus tunica sine auro, & argento peregrinabatur, singulis sanitatem se imperriturum promisit, quotiescumque, rejecto Idolorum cultu, ad unius veri, & vivi Dei religionem converterentur. Læto omnes promptoque animo cælestis medici monitis ut paruere, lustrati aqua Baptismatis incolumes statim, ac valentes ad suos intra civitatem redierunt. Viso a multis ex idololatris miraculo, non pauci in Deum, quem Prosdocimus prædicabat, credidere; illiusque fama cum ad aures perlata esset Vitaliani, qui urbi præsidebat, is prodigiosum Advenam arcessi jussit, sperans se posse aliquo inexcogitato remedio ab lethali morbo, quo afflictabatur, convalescere. Prosdocimus in Præsidis conspectum adductus, & interrogatus, quo medicamine morbos quoque insanabiles curaret, non alio, respondit, nisi sincera ipsorum languentium fide in Deum, quem Christiani colunt, ac salutaris lavacri ablutione, in qua respuentes idola, quæ cæca veneratur Gentilitas, divini Numinis præ-

ceptis

ceptis se obtemperaturos profiterentur. His auditis, Vitalianus confestim execrans simulacra Gentium, dedit Christianæ religioni nomen: regeneratusque ex aqua, & spiritu pristinam assequutus est incolumitatem. Præpedigna quoque uxor naturali laborans sterilitate, eamdem fidem amplectens, filiam tandem peperit, quam e sacro fonte Justinam appellatam, Prosdocimus divinarum rerum scientia, & studio servandæ perpetuo virginitatis erudivit.

℟. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum: * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Nihil proficiet inimicus in eo, & filius iniquitatis non nocebit ei. Manus.

LECTIO V.

PAtavii credentium numerus quotidie magis augebatur: cujus incremento Vitalianus, excitato Sophiæ, divinæ nempe Sapientiæ, templo, strenuam navabat operam. Et Prosdocimi cum sanctimonia nomen vicina per oppida propagatum, maximum de illius adventu, atque doctrina desiderium apud omnes excitabat. Cum itaque se non unam ad urbem, & Gentem esse missum sciret, quoniam plures aliæ cælesti pabulo egebant, Atesten primum adiit, mox Vincentiam, deinde Asilum, & Altinum progressus, circumeundo vicos, & ca-

castella, omnium incolas divinis imbuere præceptis, erutosque e tenebris ad fidei lucem Deo reconciliare Pastorali solicitudine satagebat. Feltriam appropinquanti plurima utriusque sexus multitudo obviam occurrit: & cum singulis æque se mysteriorum fidei dispensatorem exhiberet exemplo, & doctrina, quam Dominus admirandis signis prosequebatur, Christianam religionem mirifice dilatabat. Tarvisium ingressus oblatam sibi puellam a nativitate cæcam, signo Crucis illuminatam, hospiti suo reddidit. Hoc Civitatis Comes cum rescivisset, eidem ad se vocato conjugem suam gravi vexatam infirmitate commendavit. Prosdocimus ægram, enuntiato Christi nomine, manu apprehendens, jubet de lecto surgere a morbo curatam, stupente viro, qui statim unum, ac verum esse Christianorum Deum confessus est. Tantis probatæ fidei testimoniis universa pene urbs vanas aspernata superstitiones ad solidam cælestis doctrinæ cognitionem pervenit. Postremo inde discessurus Vir sanctus Ecclesiam divo Petro, magistro suo paulo ante cruci affixo, curavit ædificandam: atque alias sacras ædes diversis in locis excitavit: in quibus inter festos dies illius memoria celebris perseverat.

℞. Posui adjutorium super potentem, & exal-

& exaltavi electum de plebe mea; * Manus enim mea auxiliabitur ei.

℣. Inveni David servum meum, oleo sancto meo unxi eum. Manus.

LECTIO VI.

REversus Patavium Gregi sibi peculiariter commisso augendo, tuendoque totum se applicuit: maxime cum per ea tempora, quæ sæva, crudaque Neronis tyrannide damnabantur, Patavina Ecclesia durius agitaretur. Maximianus quidam nomine, ferus impiissimi tyranni minister, Mediolano profectus, datusque Patavio Præses, post obitum Vitaliani, Christianorum plurimos in ergastula trahebat, & carnificinam: quam tunc primum campus Martius, nunc Pratum Vallis, Martyrum sanguinem haurire, eoque fœcundari cœpit. Ad omnes tamen dæmonis insultus, hominumque rabiem forti animo se opponens impavidus Antistes, carnificum enses, & paratam cruciatibus lanienam prædicabat ad æternam patriam esse brevia, ac tutissima itinera. Quapropter alii ultro se tortoribus offerebant: alii ad quæstionem abrepti eadem constantia ultima subibant supplicia. Exanimata corpora Christiani noctu sublata in profunda fovea, quæ hodie martyrum puteus dicitur, summaque habetur veneratione, coacervabant.

bant. Tunc Justinæ Virginis, & Martyris constans animi robur præcipue enituit: quæ sexu, atque ætate infirmior illustriorem de Maximiano perditissimo homine victoriam obtinuit. Tandem Prosdocimus, qui ad roborandos in ea persecutione fideles divinitus subtractus est internecioni, plenus dierum, diutinis defessus laboribus, multis clarus miraculis, ac meritis cumulatus innumeris, immortali tranquillitate donandus, septimo Idus Novembris, imperante Adriano, beato fine quievit. Vixit annos centum tredecim, quorum nonaginta tres exegit in Episcopatu; sepultumque in Sacello, quod ipse Deiparæ consecrarat, Patavini ea fide prosequuntur, quam ab initio, illo docente, susceperunt: eoque cultu venerantur, qui decet Præsulem, ac Patronum omnibus in angustiis propitium.

℟. Iste est, qui ante Deum magnas virtutes operatus est, & omnis terra doctrina ejus repleta est: * Ipse intercedat pro peccatis omnium populorum.

℣. Iste est, qui contempsit vitam mundi, & pervenit ad cælestia regna. Ipse intercedat. Gloria Patri. Ipse intercedat.

In tertio Nocturno.

Evang. Vigilate *de Communi secundo loco cum com. oct.*

DIE

DOMINICA II. NOVEMBRIS.

In Festo Patrocinii B. M. V.

Duplex Majus.

Omnia ut in Festo ad Nives 5. Augusti præter Lectiones secundi Nocturni proprias in Breviario 12. Septembris 5. die infra Octav. Nativ. ejusd. B. M. V. cum IX. *lect. & com. Dom.*

DIE XI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Martini Episcopi Conf. Ecclesiæ Bellunensis Patroni.

Duplex.

Omnia ut in Brev. VIII. *lectio dividatur, & legatur pars pro* IX.

DIE XIV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Mennæ Mart.

(in Breviario 11. Novembris.)

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter ea, quæ habentur in Breviario.

ORATIO.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, ut qui *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm. Principes *de Comm. secundo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Nisi granum 10. *Augusti.*

DIE

DIE XVI. NOVEMBRIS.

In Festo Ss. Quatuor Coronator. Mm.
(in Brev. 8. Novembris.)
Semiduplex.
Omnia de Com. plurimor. Mar. præter ea, quæ habentur in Brev.
Oratio propria in Breviario.
In primo Nocturno.
Lectiones de scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.
IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm. Nemo est *de Communi secundo loco.*
In tertio Nocturno.
Evang. Descendens *de eodem Communi secundo loco.*
8. ℞. Hæc est vera fraternitas.

DIE XXIII. NOVEMBRIS.

In Festo S. Felicitatis Mar.
Duplex.
Omnia de Comm. Mar. tant. præt. ea, quæ in Breviario habentur.
Oratio prop. in Breviario.
In primo Nocturno.
Lectiones de Scriptura occurrente.
In secundo Nocturno.
IV. pp. in Brev. V. & VI. de Serm. Ego maxime *de Communi.*
In tertio Nocturno.
Evang. Thesauro *de eodem Communi cum com. octav.*

DIE XXIV. NOVEMBRIS.

In Festo S. Chrysogoni Mart.

Duplex.

Omnia de Comm. unius Mart. præt. ea, quæ in Brev. habentur.

Oratio propria in Breviario.

In primo Nocturno,

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

IV; & V. pp. in Br. si unitæ disjung.

VI. de Serm. Principes *de Communi secundo loco.*

In tertio Nocturno.

Evang. Si quis vult *de eodem Communi secundo loco cum com octav.*

DIE XXVI. NOVEMBRIS.

In Festo S. Mauri Mart.

Ecclesiæ Parentinæ Patroni.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

De Sermone: Triumphalis

De Communi primo loco.

In tertio Nocturno.

Evang. Si quis vult *de eodem Communi secundo loco cum* IX. *lectione, & com. S. Petri Episcopi Alexandrini Mart. sed post com. octav.*

DIE XXVII. NOVEMBRIS.

In Festo S. Valeriani Episcopi Conf.

Duplex.

Omn. de Com. Cōf. Pōtif. præt. sequentia.

ORATIO.

Exaudi *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

VALERIANUS Aquilejensis Episcopus Ecclesiam sibi creditam Ariana labe à Decessore Fortunatiano fœdatam assiduo Catholicæ fidei asserendæ studio purgavit. Coacto Romæ Concilio sub S. Damaso interfuit, in quo damnatus est Auxentius. Tum Ariminensi formula iterum rejecta, Damasus, eique adhærens Valerianus, ac cæteri Concilii Patres, Epistolam Synodicam miserunt ad Illyricos, & Orientales, in qua Nicæna fides confirmata est. Seorsim vero litteras Valerianus dedit ad Sanctum Basilium Magnum, quibus idem rescripsit, maxima se lætitia affectum, ut ex eo accepit veritatis doctrinam, summo Episcoporum consensu, in Occidentis Ecclesiis tradi, atque defendi. ℟. Inveni David &c.

LECTIO V.

AD Arianam perfidiam conterendam una cum Sancto Ambrosio, qui mor-

mortuo Auxentio, Mediolanensium Episcopus ordinatus fuerat, Concilio Aquilejæ indicto præfuit, ad quod Episcopi convenerant doctrina, & sanctitate celebres. Insigniores erant Eusebius Bononiensis, Sabinus Placentinus, Philaster Brixiensis, Bassianus Laudensis, Jovinus, & Chromatius ipsius Ecclesiæ adhuc Presbyter, & Valeriani in Episcopatu Successor; per quos, ut scribit Sanctus Hieronymus, ab Aquilejensi Urbe Ariani quondam dogmatis virus exclusum est. In hoc Concilio Palladius, & Secundianus, qui Arii partes tuebantur, communi Patrum sententia, anathemate percussi sunt.

℟. Posui Adjutorium &c.

LECTIO VI.

Valeriani nomen mirifice auxit, & ad posteros propagavit sollicitudo illa, qua Ecclesiam sibi creditam non solum omni labe Ariana expurgatam reddidit, sed Ecclesiastica disciplina adeo excoluit, ut Aquilejenses Clerici, eodem Hieronymo teste, quasi chorus Sanctorum haberentur. Quorum ut sanctissima consuetudine frueretur idem Sanctus Doctor e Gallia redux Aquilejam venit, eorumque nomina suis ipse laudibus absens consecravit. Tandem senio gravis cum Aquilejensem Ecclesiam plures annos sancte rexisset, vir-

virtute, ac doctrina clarus obdormivit in Domino, quinto Kalendas Decembris.
℟. Iste est &c.

In tertio Nocturno

Evang. Vigilate *de Communi secundo loco cum com. octav.*

Festa Decembris.

DIE I. DECEMBRIS.

In Festo S. Theodori Mart.
(in Brev. 9. Novembr.)

Semiduplex.

Omnia de Communi unius Mart. præter ea, quæ habentur in Brev.

Oratio prop. in Breviario.

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

IV. prop. in Brev. V. & VI. de Serm. Principes *de Communi secundo loco.*

In tertio Nocturno Evang. Si quis vult *de eodem Comm. secundo loco.*

DIE II. DECEMBRIS.

In Festo S. Chromatii Episcopi Patriarchæ Aquilejensis.

Duplex.

Omnia de Communi Conf. Pontif. præter sequentia.

ORATIO.

Exaudi *de Communi.*

In

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo Nocturno.

LECTIO IV.

CHROMATIUS una cum Eusebio non tam natura, quam morum æqualitate germano, à teneris annis Aquilejensi Clero adscriptus est. Egregiis ornatus moribus, totum se Deo atque Ecclesiasticis studiis consecravit, in quibus ita profecit, ut inter Aquilejenses Clericos doctrina, & sanctitate emineret: ad quorum privatam gloriam, ut scribit Sanctus Hieronymus, publica hæc accessit, & aperta confessio, quod per eos ab Urbe Aquilejensi ariani dogmatis virus exclusum fuit. Presbyter à Sancto Valeriano ordinatus, in ejus locum suffectus est, atque à Sancto Ambrosio consecratus fuisse perhibetur. ℟. Inveni David &c.

LECTIO V.

FActus Episcopus, Nicænam fidem, & disciplinam Ecclesiasticam acerrime defendit. Origenianos errores ab omni tam Orientis, quam Occidentis Catholicorum Synodo proscriptos, pari & ipse sententia cum Sancto Anastasio Romano Pontifice damnavit: exortisque inde simultatibus inter eundem Doctorem Maximum, & Rufinum Presbyterum, ut finis silentio imponeretur, diligen-

ligentissime curavit. Sed pium sanctissimi Præsulis sollicitudinem in primis agnovit Sanctus Johannes Chrysostomus cujus caussam apud Honorium Imperatorem tanta fide, ac religione defendendam suscepit, ut sinceram illius, ac ferventem erga se charitatem demiratus Chrysostomus, datis ad eum litteris, vehementer gratulatus sit.

℟. Posui Adjutorium &c.

LECTIO VI.

SAcrarum Litterarum studium cæteris, quæ Pastore digna sunt, muneribus adjunxit semper; Vir, Beati Hieronymi sententia, Episcoporum sanctissimus atque doctissimus. Ejus potissimum hortatu idem Sanctus Doctor Hebræa volumina latino sermone transtulit, ac Prophetarum libros commentariis illustravit, quorum aliquot Chromatii nomini inscripsit. Tractatus & ipse edidit in Evangelium Matthæi eruditione, ac pietate insignes. Denique cum Aquilejensem Ecclesiam annos duodeviginti sanctissime rexisset, ad cælestem vitam quarto nonas Decembris migravit.

℟. Iste est &c.

In tertio Nocturno.

Evang. Vigilate *de Communi secundo loco.*

DIE

DIE IX. DECEMBRIS.

In Festo S. Syri Episcopi Conf.

Semiduplex.

ORATIO.

Exaudi *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones de Scriptura occurrente.

In secundo, & in tertio Nocturno.

De Communi primo loco

Cum commem. Octav. & Fer.

DIE XXI. DECEMBRIS.

In Festo S. Thomæ Apostoli Ecclesiæ Polensis Patroni.

Duplex 2. Classis.

Omnia de Communi Apostolor. præter ea, quæ sequuntur.

In primo, secundo, & in tertio Nocturno.

Lectiones, & alia ut in Brev.

DIE XXX. DECEMBRIS.

In Festo S. Nicephori Mart.

Duplex.

Omnia de Communi unius Mart.

ORATIO.

Præsta ... ut qui *de Communi.*

In primo Nocturno.

Lectiones: Incipit Epistola B. Pauli Apostoli ad Romanos *ex Dom. infra Octav. Nativ. D. N. J. C.* vel Fratres Debitores *ex Communi plurimor. Mm. juxta occurrentiam.*

In secundo Nocturno.

De Sermone : Triumphalis

De Communi primo loco.

In tertio Nocturno.

Evangelium : Si quis vult

De eodem Communi secundo loco cum com. 4. Octavarum.

Laus Deo, Deiparæ Virgini, BB. MM.
Diœcesis Patronis Hermagoræ,
& Fortunato,
& Sanctis omnibus.

DECRETA

A Sacra Rituum Congregatione emanata pro Officiis, & Lectionibus Secundi Nocturni

SANCTORUM

Hujus Diœcesis.

I.

EMinentissimus, & Reverendissimus Dñus Cardinalis Patriarcha Delphinus Archiepiscopus Utinens. exoptans promovere cultum, ac devotionem erga Sanctum ARCANGELUM GABRIELEM *Sac. Rituum Congreg: enixè supplicavit, quatenus Officium proprium cum Missa ejusdem S.* ARCHANGELI GABRIELIS *ad Clerum suæ Civitatis, & Diœcesis extendere dignaretur; Et Sacra eadem Congregatio inhærendo aliis concessionibus in similibus factis, ad relationem mei Secretarii, petitum Officium, & Missam sub ritu duplicis minoris benignè concessit.*

Die 29. Novemb. 1755.

D. F. Card. Tamburinus Præfect.

L. S.

M. Marefuscus S. R. C. Secr.

II.

AD satisfaciendum summæ devotioni, quæ in Civitate, & Diœcesi Utinens. maximè viget erga Sacratissimum COR JESU; *Reverendiss. Archiepisc. Utinens. Ss. Dño Nostro* CLEMENTI *Pp.* XIII. *enixè supplicavit, ut Officium proprium cum Missa ejusdem Ss.* CORDIS JESU *jam pro Regno Poloniæ, & Archiconfraternitate sub eadem*

pitulo in Urbe erecta die 11. Maii currentis anni adprobatū pro feria sexta post Octavam Ss. CORPORIS CHRISTI sub ritu duplicis majoris, ad Clerum Sæcularem præfatæ Civitatis, & Diœcesis extendere dignaretur; Et Sanctitas Sua, referente me infrascripto Secret. gratiam juxta petita benigne concessit.

Die 24. Julii 1765.

Joseph Maria Card. Feroni Præfect.

L. S.

S. Archiep. Theodosiæ S. R. C. Secr.

III.

EXhibitis Ss. Dño Nostro CLEMENTI Pp. XIV. per Reverendissimum Archiepiscopum Utinens. humillimis, enixisque precibus pro extensione ad utrumque Clerum dictæ Civitatis, & Diœcesis Orationum, & Lectionum propriarum secundi Nocturni Ss. TITIANI Episcopi Cenetens. ZENONIS Episc. Veronensis, LIBERALIS Patroni Tarvisini, ac PROSDOCIMI Episcopi Patavini a Sac. Rit. Congr. jam pro respectivis Ecclesiis Aquilejæ suffraganeis adprobatas; Sanctitas Sua, referente me infrascripto Secret. petitis annuens, gratiam extensionis prædictarum Orationum, & Lectionum secundi Nocturni propriarum præfatorum Sanctorum, de quibus jam sub Ritu Duplici Officium recitant, benignè concessit.

Die 14. Julii 1770.

Ita reperitur in Reg. Decr. Congr. Sac. Rit. In fidem &c.

L. S.

M. Gallo S. R. C. Secr.

Supra-

IV.

SUprascriptas Lectiones secundi Nocturni proprias S. PAULINI Patriarchæ Aquilejensis in Sacra Rituum Congreg. per Eminentissimum, & Reverendissimum Dñum Card. Calini relatas, deque ejus mandato per eumdem Eminentissimum Ponentem, ac R. P. D. Dominicum a S. Petro Fidei Promotorem examinatas, revisas atque correctas, Sacra eadem Congregatio adprobavit, & in Officio ejusdem Sancti ab utroque Clero Civitatis, & Diœcesis Utinensis recitari posse concessit.

Die 11. Augusti 1770.

Fl. Card. Chisius Præfect.

L. S.

V. Macedonius S. R. C. Secr.

V.

SAcror. Rituum Congregatio, rogante Reverendiss. Archiepiscopo Utinensi; & referente Eminentissimo, & Reverendissimo Dño Card. Calini Ponente, suprascriptas Lectiones secundi Nocturni proprias S. VALERIANI Episcopi Aquilejensis diligenter per eumdem, & per R. P. D. Dominicum de S. Petro Fidei Promotorem revisas, & correctas nec non per manus Eminentissimorum, & Reverendissimor. D. D. Cardinalium ejusdem Sac. Congr. Præpositorum transmissas, adprobavit, atque in Officio ejusdem S. VALERIANI Episcopi ab utroque Clero prædictæ Civitatis, & Diœcesis recitari benigne concessit.

Die 22. Decembris 1770.

Fl. Card. Chisius Præfect.

L. S.

M. *Gallo S. R. C. Secr.*

21 Juliani de bono Albergo Confess. *semid.* ibidem.

Martius.

3 AGapis, & Sociar. Virg. Mart. *dup.* Pag. 14
16 Hilarii, & Tatiani Mar. *dup.* ibidē
24 Gabrielis Archangeli *dup.* 15
25 Annunciatio B. M. V. S Metropolitanæ Archiepiscop. Ecclesiæ Utinensis Titular. *Dup. 1. Clas.*
Extra Quadragesimam cum portione octav; quando occurrens in fer. 3. vel 4. infra oct. Paschæ transfertur ante complementum prop. oct; quæ expirat in die 1. April. Cum integra vero oct. in casu, quo plenarie hoc Festum impediatur per occurrentiam Fer. 6. in Parasceve, vel Sabbati Sancti in die 25. Martii, & reponendum sit, ac celebrandum tum quoad Chorum cum Officio & Missa, tum quoad Forum cum Festivitate, & Præcepto audiendi Missam, & vacandi ab operibus servilibus tamquam in sede pp. Fer 2. post Dom. in Albis, quæ respective erit die 3. vel 4. Aprilis. Octava autem complebitur die 10; vel 11. respect. ejusd. Mensis (in Br. dup. 2 Clas.) 29

Apri-

Aprilis.

1 OCtava Annunciationis B.M.V. *dup. pro casu, quo ejusdem Festum occurrat extra Quadrag. ut supra.* Pag. 30
3 Abundii Episc. Conf. *dup.* ibidem
12 Zenonis Episcopi Mart. Ecclesiæ Veronensis Patroni *dup.* 31
17 Liberalis Conf. Ecclesiæ Tarvisiensis Patroni *dup.* 34
24 Inventio Corporum Ss. Cantii, & Socior. Mar. *dup.* 37
Dom. 2. post Pascha Dedic. S. Metrop. Archiepisc. Eccl. Utin. *Dup. 1. Class; & in Civit. tant. Utinensi cum octava* 39
Dom. 3 post Pascha. Oct. Dedic. S. Metrop. Archiepisc. Eccl. Utin. in ipsa tant. Civitat; & de qua sola com; quia ejus Offic. impeditur a Festo Patrocinii S. Joseph Sponsi B. M. V. ibidem

Majus.

13 SIgismundi Reg. Burgund. Mar. *dup.* Pag. ibidem
14 Victoris, & Coronæ Mart. Eccl. Feltrensis Patronor. *dup.* 40
17 Maximæ Virg. *dup.* ibidem
29 Maximi Episcopi Mar. *dup.* ibidem

Can-

31 Cantii, Cantiani, & Cantianillæ Fratrum, ac Proti Mm. *dup.* 41

Junius.

FEr. 6 post octav. SS. Corporis Christi. Fest. SS. Cordis D. N. J. C. *dup. maj.* Pag. 45
4 Quirini Episc. Mar. *dup.* 61
6 B. Bertrandi Patriarch. Aquilejens. Conf. *dup.* ibidem
9 Primi, & Feliciani Mar. *dup.* (in Brev. simpl.) 66
15 Viti, & Soc. Mar. *semid.* (in Brev. simpl.) ibidem
16 Felicis, & Fortunati Mar. *dup* 67
17 Ciricæ, & Muscæ V. M. *dup.* ibidē
19 Nazarii Episc. Conf. Eccles. Justinopol. Patroni *dup.* 68
22 Niceæ Episcopi Conf. *dup.* ibidem
27 Vigilii Episc. Mar. *dup.* ibidem

Julius.

3 PRocessi, & Martiniani Mart. *semid.* (in Brev. simpl. 2. Julii) Pag. 69
4 Uldarici Episc. Conf. *sem.* ibidem
5 Gervasii, & Protasii Mar. *semid.* (in Brev. simpl. 19. Junii) 70
9 Accatii, & Soc. Mm. *sem.* ibidem

Sep-

10 Septem Fratrum, & Socior. Mar. *dup.* (in Brev. *semid.*) ibidem

11 *Vig cum jejun. & Off; quæ si occurrat in Dom; de ea agitur antecipate in Sab die 10.*

Pii Pp. Mar. *dup.* (in Br. *sem.*) 71

12 Festum de Præcepto. Hermagoræ Episc. & Fortun. Diac. Mar. S. Metrop. Archiepisc. Eccl; & Diœc. Utinens. Patronor. *Dup.* 1. *Class.* 72

De Ss. Nabore, & Felice Mar. (sub hac die in Brev rit. simpl.) nihil fit in Diœcesi Utinensi.

13 Dedic. Basilicæ S. Mariæ Aquilejens. *dup.* 76

15 Divisio Apostolor. *dup.* 77

18 Festum Sacrar. Reliquiar. quæ in S. Metrop. Eccl. Utinensi asserv. *dup.* sed pro sola Ecclesia Metropol. 7[illegible]

19 Oct. Ss. Hermagoræ, & Fortunati Mm. *dup.* 81

24 Christinæ Virg Mart. *semid.* (in Brev. simpl.) ibidem

27 Pantaleonis Mar. *dup.* (in Brev. simpl.) ibidem

Augustus.

3 INventio S. Stephani Protomar. Eccl. Concordiens. Patroni *dup.* (in

(in Brev. *semid.*) Pag. 88
13 Hippolyti, & Cassiani Mar. *sem.* (in Brev. simpl.) ibidem
16 Rochi Conf. *dup.* ibidem
18 Agapiti Mart. in Eccl. Metropol. *dup.* in reliqua Diœcesi *semid.* (in Brev. simpl.) 89
21 Donati, & Soc. Mm. *dup.* ibidem
26 Hermogenis, & Fortunati Mart. *dup.* ibidem
27 Translatio Ss. Hermagoræ, & Fortunati Mart. *dup.* 90

September.

1 ÆGidii Abb. *semiduplex* (in Brev. simpl.) Pag. 91
3 Euphemiæ, & Sociar. Virg. Mar. *dup.* 92
4 Pelagii Mart. Ecclesiæ Æmoniensis Patroni *dup.* 95
6 Danielis Prophetæ Conf. *dup.* 96
7 Anastasii Mar. *dup.* ibidem
13 Sept. Dormientium Mar. *sem.* ibidē
22 Christophori Mar. *sem.* (in Brev. simpl. 25. Julii) 97
25 Juliani Mart. *semid.* ibidem

Octo-

October.

5 MArgaritæ Virg. Mar. *semid.* (in Breviar. ſimpl. 20. Julii) Pag. 98
7 Juſtinæ Virg. Mar. *dup.* ibidem
10 Gereonis, & Soc. Mm. *dup.* 99
11 Marci Papæ Conf. *dup.* (in Br. ſimpl. 7 Octobris) ibidem
12 Fidei Virg. Mart. *semid.* ibidem
21 Urſulæ, & Soc. Virg. Mar. *sem.* (in Brev. ſimpl.) 100
30 Benvenutæ Bojani Forojulienſis Virg. *dup.* ibidem

November.

2 JUſti Mar. *dup.* Pag. 104
6 Leonardi Conf. *semid.* 105
7 Proſdocimi Epiſc. Conf. Eccl. Patavinæ Patroni *dup.* ibidem
Dom. 2. Novembr. a Calend. Feſtum Patrocinii B. M V *dup. maj.* 111
11 Martini Epiſc. Conf. Eccl. Belunenſis Patroni *dup.* (in Breviario etiam *dup*) ibidem
14 Mennæ Mar. *dup* (in Brev. ſimpl. 11 Novembr.) ibidem
16 Quatuor Coronator. Mar. *semid.* (in Brev. ſimpl. 8 Novēb.) 112
23 Felicitatis Mar. *dup.* (in Brev. ſimpl.) ibidem

Chry-

24 Chryſogoni Mar. *dup.* (in Brev. ſimpl.) 113
26 Mauri Mart. Eccleſiæ Parentinæ Patroni *dup.* ibidem
27 Valeriani Epiſc. Conf. *dup.* 114

December.

1 THeodori Mar. *ſemid.* (in Br. ſimpl. 9. Novembr. Pag. 116
2 Chromatii Epiſc. Conf. *dup.* ibidē
9 Syri Epiſc. Cōnf. *ſemid* 119
21 Thomæ Ap. Eccl. Polenſis Patroni *dup.* 2. *Claſſ.* (in Brev. ejuſdem Ritus) ibidem
30 Nicephori Mart. *dup.* ibidem

r.
3
æ
n
4

r.
s
ē
9
-
r.
m
n